

1889  
1889









13375.

1239.

DISSERTATIO IVRIDICA 1668,4  
INAUGVRALIS

*Circa*

CONTRACTVM MANDATI  
CONSENSVALEM

*Quam*

Ferente opem

OPTIM. MAX. DEO

PRO CAPESSVNDIS IN VTROQVE IVRE  
Doctorem immunitatibus

*Sub permissu*

MAGNIFICI & SPECTATISSIMI  
*Juris Consultorum Ordinis in celebri  
Basiliensium Academia*

Examinandam proponit

GOTHOFRIDVS HILLING

17. Embd. Fr. Or.

Die 14. Mensis Decembris, A. MDC LXIIX.

Horis solennibus, & loco hyemi destinato.



---

BASILEÆ, Ex Officina DECKERIANA.

17.





DISSERTATIO MEDICA  
INVALENTIA  
CONTRACTUM MANDATI  
CONSENSUALIEM

Ex parte  
GOTTFR. MAX. D. D.  
P. CARPENTARIUS IN VITROVE LITER  
D. GOTTFR. HILFENBERG

Ex parte  
GOTTFR. HILFENBERG  
P. CARPENTARIUS IN VITROVE LITER  
D. GOTTFR. HILFENBERG

Ex parte  
GOTTFR. HILFENBERG  
P. CARPENTARIUS IN VITROVE LITER  
D. GOTTFR. HILFENBERG

Ex parte  
GOTTFR. HILFENBERG  
P. CARPENTARIUS IN VITROVE LITER  
D. GOTTFR. HILFENBERG

Ex parte  
GOTTFR. HILFENBERG  
P. CARPENTARIUS IN VITROVE LITER  
D. GOTTFR. HILFENBERG

Ex parte  
GOTTFR. HILFENBERG  
P. CARPENTARIUS IN VITROVE LITER  
D. GOTTFR. HILFENBERG







CAPVT I.

*Qui sint contractus consensuales, & in quo à se invicem distinguantur.*

II.

*Mandatum unde originem & essentiam sumat: quotuplex sit ejus acceptio: deniq; quid sit.*

III.

*Persona qua sint mandatum contrahentes: qua persona eorum, qui mandatum contrahere nequeunt.*

IV.

*Modus contrahendi mandatum varius.*

V.

*Varii illius modi forma.*

VI.

*Species mandati.*

VII.

*Objectum mandati.*

VIII.

*Mandati solutio.*

IX.

*Ejusdem nondum soluti obligatio.*

X.

*Quam & num diversam pariat actionem.*

---

CAPVT I.

Th. I.

**Q**ui sint contractus (a) consensuales (b) numero, an illi quatuor? Emptio venditio (c), Locatio Conductio (d), Societas (e), Mandatum (f), an plures (g) seu pauciores (h): in quo à se invicem distinguantur (i), in quo conveniant (k)? omninò est præmittendum.

(a) Contractus est conventio vel in aliud nomen transiens, vel illo deficiente habens causam. Quæ definitio sic se habet, ut

A 2



comprehendat contractus nominatos & innominatos. Nominati contractus sunt, qui habent nomen & causam: innominati destituuntur quidem nomine, causam tamen habent. Obstat definitioni inesse divisionem. Respondebitur.

(b) Consensuales contractus denominantur ab eo, quod in his contractibus est præcipuum, & quo cætera, quæ comitantur, sunt inferiora. Præcipuum est consensus, qui opponitur vel ei, quod accedit consensui, vel opponitur mutæ obligationi. Opponit Imp. in tit. Inst. d. Oblig. ex cons. ei, quod accedit consensui, in his verbis, *Ideo autem istis modis dicitur contrahi consensu obligatio, quia neq; scripturâ neq; præsentia omnimodò opus est, ac nec dari quicquam necesse est, ut substantiam capiat obligatio, sed sufficit eos, qui negotia gerunt, consentire, unde inter absentes quoq; talia negotia contrahuntur, veluti per epistolam vel per nuncium.* Opponit Imp. d. tit. consensum mutæ obligationi in his verbis, *Item in his contractibus alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet: cum alioquin in verborum obligationibus alius stipuletur, alius promittat.*

(c) Obstat Emptioni venditioni, ne videatur esse contractus consensualis, l. 17. C. de fid. instrum. quâ venditionem in scriptis fieri placuit. O. l. 7. S. pen. ff. de publ. in rem act. ubi, ut publiciana competat, hæc debent concurrere, ut & bonâ fide quis emerit, & ei res empta eo nomine sit tradita. E quo constat, cum emptio rei emptæ traditione absolvatur, illam esse contractum realem. Respondebitur.

(d) Secundus contractus consensualis est locatio conductio, cujus ordini non aliam ob rationem immoramur, quàm quia ille est placiti Justiniani, cum ordinem tollat & antecedentis primi & hujus contractus eadem origo, quæ est juris gentium. Sic eadem origo, non tamen eandem naturam suadet, l. 2. ff. locat.

(e) Tertium contractum consensuale esse societatem non impedit, l. 4. in princ. ff. pro soc.

(f) Quartus contractus consensualis est Mandatum. Et quoad ordinem mandati & quoad ipsum mandatum sunt, quæ opponi in contrarium queunt. Quoad ordinem mandatum non est quartus consensualis, sed in l. 1. S. 13. ff. de pos. vocatur primus contractus. R. non ad eò interesse, primus, ultimus an intermedius vocetur contractus. 2. in d. S. 13. vocatur primus contractus.



tractus non in sensu absoluto, sed in concursu mandati cum deposito, nam Pomponius quærit, si tibi mandavero, ut *rem ab aliquo meo nomine receptam custodias, idq; feceris*, mandati an depositi tenearis? & magis placet mandati esse actionem, quia hic est primus contractus. 3. ordine doctrinæ aliquid potest esse posterius, quod applicatione sui vel primatum tener. Quoad ipsum mandatum ei, quod sit contractus consensualis, obstat mandatum posse præsumi, & ideo ut sit mandatum, non est necesse præcessisse contractum consensuale. *R. Mantica d. tac. & ambig. convent. lib. 7. c. 4. & seqq.* Obstat mandatum præsumi ex scientia & patientia. *R.* hoc propriè non esse mandatum, quantumvis obligatio æquè oriatur, ac si mandatum præcessisset, quoniam illa scientia & patientia non tam est mandatum, quàm mandatum repræsentat. Necessum tamen est illius scientiæ & patientiæ esse indicium, quale indicium est traditio instrumentorum, quæ ad causam pertinent, & sigillum; nam mandatum ad causas ex solo sigillo Episcopi vel alterius Prælati sine subscriptione Notarii & testium intelligitur esse perfectum, dummodò sit recognitum. Sed & advertendum, quod ex eo solo, quod quis habet sigillum domini, dominium plenè non probetur, quia sigillum non loquitur, neque per sigillum aliquid apparet, & propterea scriptura sigillo obsignata requiritur. Obstat mandatum non esse contractum consensuale, quia idem est mandare & mandatum prohibere, *l. 14. §. 13. ff. de relig. & sump. fun.* in prohibitione autem non est prohibentis consensus. *R.* 1. non idem esse mandare & mandatum prohibere. 2. mandans non dicitur prohibere mandatum, sed mandatum revocare. 3. *in d. §. 13.* hoc tantùm quæritur, an is, cuius non æquè interest ac mandantis, mandatum prohibere queat? & negatur, sic enim *d. §. 13.* *habet, quid si testator quidem funus mihi mandavit, hæres prohibet, ego tamen nihilominus funerari, nonne æquum est mihi funerariam competere? secus est quod ad ipsum mandatum.* Vid. *l. ult. C. neg. gest.*

(g) Alii plures species comminiscuntur, ut *Matrimonium, Adoptionem, Donationem, Constitutum, Contractum Emphyteuticum.* Quoad *Matrimonium.* Otto Tabor *elem. jurispr. meth. part. 3. sect. 4. th. 43.* illud rectiùs definit esse actum, quo vir & mulier individuæ consuetudinis & societatis causâ conjunguntur. Et verò ineptum





esset contractum consensuale denominare à personis consentientibus, cum denominari debeat ab eo, in quod consentimus. Quoad adoptionem & illam definit Hottomannus ad *princ. I. de Adopt.* ut refert Hilliger ad *D. E. libr. 2. c. 22. lit. a.* quod sit actus legitimus seu legis actio, per quam extraneus in alienam familiam jusque filiifam. cooptatur. Definit eam, eod. *d. loc.* referente, ad *rubr. §. d. tit. num. 1.* Corasius, quod sit actus legitimus naturam imitans, quo certa persona in filium eligitur, in solatium eorum, qui liberos non habent, inventus. Brevius & melius sic ad *d. princ. num. 1.* definit Vultejus, quod sit legitima hominis liberi in locum filii electio. Addit *d. loc.* Otto Tabor; Nec in contrarium nos, quæ illum, nempe Althusium, abripuit, movere debet ratio, quod Adoptio utriusque, & adoptantis & adoptati consensum requirat, *l. pen. & ult. C. de Adopt.* separanda enim est tractatio seu conventio de adoptando ab adoptione ipsa: cum enim adoptio quandam statum adferat mutationem. *§. 3. I. de cap. dimin.* non debet ad eam invitus quis cogi, *l. neq. 24. ff. de Adopt.* sed voluntas non tantum adoptantis, verum etiam eorum, quorum interest, exigitur. Vide *l. 39. d. tit.* Quid si consequentia aliqua in argumento esset, sequeretur non tantum matrimonium, sed & emancipationem quoque contractum esse consensuale, cum & ea consensum liberorum desideret, *l. 5. in fin. C. de Emancip. lib. Novell. 89. c. II.* quod tamen nec Althusius ipse admisit. Etiam si cum Tabor separarem tractationem seu conventionem de adoptando ab adoptione ipsa, non tamen inde extenderemus tractationem seu conventionem de adoptando esse contractum consensuale. Sat fuisset respondere, quod prælibavimus, contractum consensuale non denominari à personis consentientibus, sed ab eo, in quod consentimus. Quoad *donationem* subtilissimè scribit Bachovius *vol. ad Treut. 2. disput. 19. th. 1. lit. A.* quæstio prima est de genere donationis, & refert Treutlerus opinionem distinguendum inter jus antiquum & novum Justinianum, quo demum, non verò illo donatio sit contractus: quam opinionem miror probari potuisse Cujacio *lib. 10. th. 28. in fin.* ubi ait, donationem olim fuisse acquisitionem, sed hodie esse conventionem: & magis videatur probandum hac in re iudicium Treutleri, qui utroque jure contractum esse defendit, quoniam



quoniam nihil hinc novi fecit Justinianus, nisi quod ex pacto nudo fecit legitimum, & dedit actionem civilem. Neque tantum textibus juris novi, sed etiam jure anteriori contractibus annumeratur, velut in *l. 7. C. de his qua vi. l. 2. §. 2. de donat.* ubi promissione perfecta est donatio. *l. 12. eod.* ubi ex donatione quis dicitur obligari, *l. 22. eod.* ubi donatio opponitur b.f. contractibus, *l. ult. §. 1. eod.* ubi ante traditionem quis donasse proponitur. Sed quod minus in istam Treutleri sententiam descendere possim, illud praecipue facit, quod cum omnis contractus & omnis conventio propriam habeat essentiam & formam, non possum animadvertere, quanam donationis consideratae ut contractus vel conventio, essentia possit esse ac forma: quandoquidem ex jam citatis textibus apparet, nullam aliam rationem aut respectum donationem dici contractum, aut sub contractum referri, nisi quatenus ante traditionem efficax ad petendum actio nata est, nimirum non aliunde quam ex stipulatione interposita, quo solo intuitu in *l. 22. h. t.* donatio negatur esse bonae fidei contractus. Itaque donatio hoc sensu nihil aliud fuerit, quam ex liberalitate profecta stipulatio vel promissio, & proinde contractus duo separati & distincti eandem essentiam habebunt, & sola causa stipulandi diversum efficiet contractum: quod perabsurdum est, cum stipulatio unam eademque essentiam ex diversissimis prorsus causis interponatur. Deinde contra sententiam Treutleri moveor, quod eam admittam nullum potest dari certum & perpetuum genus donationis, quod tamen in constituendis definitionibus omnino necessarium est, cum genus semper inesse oporteat suae speciei, quid enim si citra ullam praecedentem conventionem rectam donandi causam quis tradat? quid si pactum nudum interponat? Et Treutlerus quidem hanc objectionem evitare velle videtur, dum pacta legitima contractus esse ait. Verum ut haec plane inter se confundantur, nullo modo admitti potest. Neque potest nudum pactum sufficere, ubi ex jure veteri stipulatione opus est, nec quod hodie pactum actionem pariat, ideo stipulatio intervenire non potest, aut sibi non constat Tr. & cum Cujacio inter jus vetus & novum distinguere necesse habet. Quibus rationibus moveor, ut ex diametro contra Treutl. statuum, donationem nec veteri nec novo jure contractum, sed modum transferendi domini



minii esse, quod & methodus Justiniani in Institutionibus arguit, tum quod in ff. & C. longissimè à contractibus tractatio ista remota est. Facit l. 1. in princ. h. t. ubi donatio sæpiùs per traditionem explicatur, quod & ipsa natura & proprietas verbi denotare videtur. Sed nimirum quia donatio simul implicat & continet causam tradendi, quod proprium est contractuum, & propter conjunctionem causæ cum effectu, quo ex stipulatione efficax erat actio, factum est ut ipsa stipulatio & promissio de donando per metonymiam quandam causæ donatio appellaretur, quod & hodie de pacto nudo dici potest, revera autem donatio ipsam translationem dominii significat, pactum autem & stipulatio sunt promissiones & conventiones de donando, quoniam qui donare vult, nec rem ad manum habet, interim conventionem se obstringit. Dixerit fortasse quis etiam venditionem posse fieri per stipulationem, cum tamen maximè venditio à stipulatione sit diversa, verum non sunt hæc similia, quoniam venditio habet distinctam essentiam, quæ in donatione dari non potest, & de essentia venditionis est ne simplici conventionem rectè perficiatur. Non absimile autem exemplum proponi potest in dote, verbo latius sumpto, quæ olim non nisi per stipulationem, hodie quavis conventionem rectè constituitur. Planè quoniam frequenter ipsa de donando promissio donatio appellatur, juxta hunc usum dixerit quis non ineptè, quòd donatio perficiatur vel traditione rei vel conventionem, & illud propriè, quo sensu donatio est gratuita rei in aliquem collatio: hoc impropriè, quo sensu est liberalitatis exercendæ gratiâ facta conventio. Eaque vel pactum legitimum, vel stipulatio. Quoad *constitutum* non video quid Donello adscribi queat, dum in *libr. 12. c. 10.* non proponit contractus consensuales, sed conventiones, quæ solo consensu obligationem & actionem pariunt. Addit ibidem, Temporibus Gaji, quæ conventiones solo consensu nos tenerent, prope non plures fuerunt, quàm superiores quatuor, ne legitimæ quidem, unà enim tantum fuit conventio pecuniæ constitutæ, quæ pareret actionem: sed hanc comparatam edicto Prætoris, non verâ lege, ut possit videri nec jurisgentium esse conventio, nec legitima. Addit idem Donellus, ideò Prætorum constituta consensu facta custodire, quoniam grave est in hac specie præter cæteros, quæ nudum



nudum pactum habent, nullâ aliâ lege confirmatum. Obstat constitutum oriri ex consensu contrahentium. 2. constitutum non oriri ex consensu contrahentium, sed ex consensu constituentium, ita ut non tam quæatur qui contrahant, quam quorum constituentium consensus sufficiat, & responderetur sufficere consensum constituentis, & ejus, cui constituitur, ut constitutum valeat; neq; enim requiritur consensus debitoris, si quis constituat se soluturum, quod alius debet, quia etiam eo invito quis constituere potest, *l. utrum. 27. de pecunia constituta.* 2. etiam si constitutum diceretur oriri ex consensu contrahentium, latitudo verbi non eandem verbalis latitudinem arguit. 3. si bene rem exploremus, constituti naturam non tam deprehendimus in terminis ipsius conventionis, quam ejusdem efficaciam in autoritate Prætoria. Obstat illud Mantice *d. tac. & ambig. conv. libr. 19. tit. 10.* cui constitutum conventionis species est, quæ à jure civili originem habet, & contractus est nominatus, quia ejus nomen elegans & speciale est. Resp. hoc equidem nos ultro largiri, constitutum esse conventionis speciem, verum hoc non largimur, à jure civili originem habere. 2. Si hæc asseveratio esset expedita, quare idem Mantica *d. l. num. 2.* requirit auxilium, quo Prætor constituto actionem concedit. 3. non hoc venit in quæstionem, an constitutum sit contractus nominatus, sed hoc venit in quæstionem, an sit contractus, vel an ad qualitatem contractus progrediamur in eo, quod planè non est contractus. 4. etiam si veniret in quæstionem, an sit contractus nominatus? responderemus hanc quæstionem esse juris civilis, cui constitutum non acceptum ferimus. 5. ut sit contractus nominatus, non sufficit esse nomen elegans, sed requiritur insuper ut sit tale nomen, quod contractum nominatum ab innominato distinguat. Proinde *d. loco Mantice* non tantum vult nomen esse elegans, quod commune est contractui nominato & innominato, sed vult nomen esse speciale, quod contractum nominatum ab innominato distinguit: Vid. Ant. Fabrum ad *l. 7. §. 1. ff. d. Pact.* Hilligerum ad *D. E. libr. 12. c. 10. lit. B.* Gœddeum *d. C. & C. S. c. 1. num. 49. & seqq.* Non liberat Mantice, quod *d. loc. num. ult.* velit jus prætorium esse portionem juris civilis, quia jus prætorium non est portio juris civilis in controversia, quâ quæritur, an aliquid sit juris civilis seu

B





prætorii. 2. Jus prætorium est portio juris civilis, & non est portio juris civilis. Est portio juris civilis, si jus civile consideretur cum eo, quod in juris civilis accessionem venit: non est portio juris civilis, si jus civile citra sui accessionem consideretur. 3. & hoc responderi potest, jus civile vel prædicari de eo, quod immediatè sequitur jus gentium, & ita aliud est jus civile, aliud Prætorium; vel prædicatur de omni eo, quod jure gentium est posterius, & ita sub jure civili prætorium continetur, nec Prætorium quartam juris speciem constituit. Quoad contractum Emphyteuticum, ille referri potest vel ad locationem vel ad emptionem. Ad locationem non quidem eâ ratione, quam ad §. 3. *Inst. d. locat. cond. num. 3.* urget Manzius, quòd locatio rei alia sit temporaria, quæ fit ad certum tempus, & hæc propriè vocatur locatio: alia est perpetua vel diuturna, & vocatur emphyteusis. Vide Frantzium *exerc. II. quest. 5. num. 5.* cùm vera ratio sit in perceptione fructuum, prout plenior est vel minùs plena: nec enim magis & minus mutant rei speciem aut naturam. *L. fin. ff. de fund. instr. vel instr. leg. aut substantiam, Rosenthal. d. feud. c. 9. num. 1. concl. 56. num. 16. Vult. 3. conf. Marp. 35. num. 34.* Ad emptionem quemadmodum contractus emphyteuticus referatur, vide Wesenbecium ad *tit. ff. si ager vectigalis, i. e. emph. pet. num. ult.* Struven in *Syntagm. jur. feudal. c. 2. num. 4.*

(b) Sunt, qui hos contractus ad *dispositivum* revocare allaborant: quòd in iis agatur vel de opera personarum, ut in societate & mandato: vel de re ipsa, ut in emptione, locatione. Verùm in locatione non solum agitur de rebus, sed etiam de opera personarum. Societas non tantum respicit operam personarum, sed vel maximè communicationem rerum.

(i) In quo consensuales contractus à se invicem distinguantur, innuit Vultejus *libr. jurisprud. Rom. I. c. 35.* dum proponit bimembrem divisionem, de qua modò, & facit contractus consensuales partim in re esse, partim circa rem. In re nempe domini vel usus. Circa rem communionis vel facti. Domini est emptio venditio: usus locatio conductio: communionis est societas: facti est mandatum.

(k) In quo hi contractus consensuales conveniant? Ad id respondet Harpprechtus in *comm. brevib. ad tit. Inst. d. oblig. ex cons. obligatio-*



obligationes seu contractus ex consensu omnes bonæ fidei esse, ac proinde officio judicis ex æquo & bono multa in iis præstanda veniunt, de quibus nominatim ac expressè inter contrahentes nihil est conventum, ut sunt usuræ, fructus, aliæque accessiones. Hinc è converso, quod ad *d. tit. num. 7.* notat Manzius, dicuntur illi contractus esse stricti juris, in quibus nihil venit vel præstatur, nisi de quo inter contrahentes nominatim actum & expressè conventum est.

## C A P V T II.

### *Tb. II.*

Mandatum unde originem (a) & essentiam (b) summat: quotuplex ejus sit (c) acceptio: denique quid sit, è definitione, quam thesi tertiæ includimus, fit manifestum.

(a) Originem sumit ab officii suscipiendi necessitate & à suscepti fiducia. Officii suscipiendi necessitas est in *fin. pr. Inst. d. iis, per quos ag. poss.* Suscepti fiducia Isidoro *libr. 5. Etymolog.* inde est, quod in mandatis dandis accipiendisque manus sibi invicem dare mos fuerit, Azo in *summ. C. h. t. num. 7.* Oldendorp. *class. 4. act. 24.* Rosbach. in *process. civ. tit. 20. num. 2.* Manus enim fidei symbolum apud omnes ferè Gentes fuit, quod è Livio & Cæsare, si liceret nobis esse Philologis, ostenderemus: ostenderemus insuper è Virgilio aliisque Poëtis, fallere dextram nihil aliud esse quàm fallere fidem. Alexander expertâ Philippi fide & innocentia, *Nunc credo, inquit, te non minus pro tua fide, quàm pro mea salute fuisse sollicitum:* Hæc loquutus dextram Philippo offert. Hoc ipsum de Severo scribit Herodianus, de Corbulone & Tiridate Tacitus *Annal. 15.* De Cyro Xenophon *pad. libr. 6.* Apud Livium cum Evander Herculi fata, quæ à matre acceperat, exposuisset, ille dextrâ datâ accipere se omen impleturumq; fata arâ conditâ atq; dicatâ respondit. Invenio symboli loco Henricum VII. Imp. usurpasse junctas dextras cum caduceo Mercuriali & inscriptione, FIDE ET CONSILIO. Quæ verba sic interpretantur, fide subditorum, consilio autem Principum imperia firmari. Unde & in propinandis scyphis, in salutando & gratulando, in confabulationibus amicitia ac fidei gratiâ solent nostri eleganti, ut Lipsius lo-





quitur, manuum impressione uti, Gœddeus d. C. & C. s. c. 3. n. 183. Et officii suscipiendi necessitatem & suscepti fiduciam apud Balduinum in *proth. h. t.* Oldendorpium d. *class. 4. act. 24.* conjungit Cicero in *Orat. pro Roscio.* Sic ille, *In privatis rebus si quis rem mandatam non modo malitiosius gessisset sui questus & commodi gratia, verum etiam negligentius, eum Majores summum admisisse dedecus existimabant.* Itaque mandati constitutum est judicium non minus turpe quam furti. Credo propterea, quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in iis opera nostra vicaria fides amicorum supponatur, quam qui lædit, oppugnat commune omnium presidium, & (quantum in ipso est) disturbat vitæ societatem. Non enim possumus omnia per nos agere. Alius in alia re magis utilis: Idcirco amicitia comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipis mandatum, si aut neglecturus aut ad tuum commodum conversurus es? Cur mihi te offers ac meis commodis officio simulato officis & obstas? Recede de medio, per alium transgam. Suscipis genus officii, quod te putas sustinere posse: quod minimè grave videtur iis, qui minimè ipsi leves sunt. Ergo idcirco hæc turpis culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam & fidem. Quid alioqui manu intelligatur, vide Stamlerum d. *contract. disp. 12. th. 1.* Connanum *comm. jur. civ. libr. 1. c. 7.* Richterum d. *contract. disp. 12. th. 1. lit. a.* ubi adducit sententiam Azonis, quæ Azonis non est. Rebhan in *Hodeg. Fur. chart. 2. clim. 1. num. 49.*

(b) Essentia est definitionis, non illorum, quæ essentiam sequuntur, ne cum Struven. in *syntagm. jur. Feud. c. 2. num. 4.* essentialia alia dicamus consecutiva.

(c) Acceptionem variam omninò indagandam esse volunt. Oldend. d. *class. 4. act. 24.* Gœdd. in *comm. d. V. S. sub init.* Mandatum aliud est coeleste, c. 6. x. de *presumpt.* humanum aliud: l. 1. C. d. *mand. Princip. c. 2. d. major. & obed. c. cui de non sacerdotali. d. præbend. in 6.* aliud est jurisdictionis mandata, rubr. & tit. de *offic. ejus, cui mand. est jurisd. l. 7. §. 3. de reb. eorum, qui sub tut. vel cur. l. 1. §. 4. ff. d. susp. tutor.* Menochius *lib. 2. pres. 5.* Mascard. *concl. 393.* Tuldén. ad d. tit. C. d. *mand. princip. num. 2.* aliud est mandatum privatum, l. 1. & tot. tit. ff. *quod jussu. l. 4. & passim.* Quod cum eo, qui in alien. potest. est, neg. gest. esse dic. Auson. Popma d. *differ. verb. in verb. jussum.* Harpprechtus ad *princ. I. b. tit. num. 2.* vide Richterum d. *tit. a.*

Th. III.

Quæ autem propria hic sit significatio, manifestum fit è





fit è definitione (a), quâ Mandatum est contractus (b) consensualis (c), jurisgentium (d), nominatus (e), bonæ fidei (f), quo negotium aliquod (g), gratuito (h), efficiendum (i) suscipienti (k) voluntariè committitur (l).

(a) Jason in l. 1. n. 40. d. A. vel A. P. Zepperus in cynos. leg. c. 18.

(b) Contra Donellum l. 13. c. 10. sed ex Hilligeri ibidem sententia. notatio mandati convincit mandatum significare totum negotium rogantis & recipientis, ut quando vocatur gratuitum, non certè, quòd gratis quis mandet, sed quòd alter suscipiat. Vide Cujacium in P. C. ad h. tit. Connanum libr. comm. 7. c. 4. n. 2. Treutlerum vol. 1. disp. 27. th. 1. lit. f. Timæum Fabrum disp. ad Inst. 24. th. 15. Hermannum Hermes ad Wesenb. π. h. t. lit. D. Streinium ad c. 10. d. R. J. in 6. Ottermannum in Colleg. Col. jurid. disp. 27. th. 3.

(c) Quamprimùm enim intervenit consensus, ex eo nascitur obligatio. Quòd traditio interveniat. l. 59. ff. d. A. R. D. quòd & interveniant verba, & alia sint tantùm commendantia, l. 12. §. 12. h. t. l. 43. d. C. E. l. 1. §. 6. l. 14. §. ult. l. 19. in princ. & §. 1. ff. d. edil. edict. l. 10. C. fam. ercisc. l. 2. ff. d. proxen. eo non tolli contractum hunc esse consensualem, arena aperiet. Vide quid apud Plutarchum libr. d. immod. verec. Polypercon Xenocrati Philosopho rescripserit: & quomodo apud Suetonium in August. c. 16. Augustus Cæsar filios suos populo commendavit. An statuta Lubecensia tit. 10. libr. 3. velint commendationi vim esse fidejussoriam: an sit vis literis credentiæ apud Gomezium tom. var. resol. 2. c. 13. num. 5. quas Wissenbachius disp. ad π. 32. th. 4. part. 1. cum vulgo fiduciales vocat. Vide Hænedæsum exerc. Imp. 19. quest. 8. Boërium decis. 282. Cravettam de antiq. temp. c. vidimus. num. 43. & seq. Schneidevvinum ad pr. Inst. h. t. num. 6. & ibidem Dion. Gothofredum.

(d) Quod probant è l. 5. ff. d. I. & I. l. 7. §. 1. de pact. verùm è d. l. 5. apparere non potest, num mandatum jurisgentium accenseri debeat. Nec in d. l. 7. §. 1. asseritur mandatum esse jurisgentium, sed, quod & §. 2. d. t. suggerit, contractus jurisgentium alios transire in proprium nomen contractus, alios non transire. Igitur probatio petatur ex l. 1. ff. locat.





(e) Quoniam nomen, quod aliis contractibus non est commune, habet. Vide Duarenum ad l. 5. ff. d. in lit. jur. Frantzkium ad tit. ff. d. præscrip. verb. num. 20.

(f) Ratio hîc est in lit. c. Dissentit Mantica libr. d. tac. & ambig. conv. 7. tit. 14. num. 1. cui mandatum est stricti juris, cum ad alios casus quàm expressos non possit extendi. Est quod respondeamus. Vide Cardinalem Tuschum l. M. concl. 39. 40. Romanum consil. 94. num. 8. 9. Carpozovium in jurisp. for. Romano-Sax. part. 1. const. 17. def. 12. num. 8. libr. 3. respons. jur. tit. 1. resp. 11. num. 13. in process. jur. tit. 5. art. 2. n. 27. Mynsingerum cent. 1. O. 55. Wesenbecium part. 7. cons. 332. n. 115. Berlichium part. 1. concl. 27. n. 21.

(g) Non enim, quid sit Mandatum, explicare possumus, ne simul objectum apprehendamus.

(h) Vide Frantzkium ad h. ff. tit. à num. 24. Salicetum ad l. 1. C. eod. num. 2. in fin. Wesenbecium in π. ad eundem tit. num. 3. ubi mandatum à forma dividit, aliud esse gratuitum, quod propriè sit mandatum: aliud verò mercenarium. Respondet ibidem Bachovius lit. g. illud mirum esse, quòd divisionem hanc in gratuitum & mercenarium scribit desumptam à forma mandati, & tamen num. 6. formam mandati positam in hoc ait esse, ut gratuito suscipiatur. Addo & hoc non posse esse de forma mandati, quòd propriè mandatum non est, aut in improprietate formæ proprium aucupabimur.

(i) E quo patescit 1. mandare non esse quovis modo committere, sed committere aliquid gerendum, putà ut mihi fundum emas, negotia mea geras: nec gerendum committi sufficiat, nisi & gratis suscipiatur, Simon van Leuven in cens. for. libr. 4. c. 24. Patescit 2. distingui debere negotium efficiendum & effectum, aliàs mandatum non præcederet obligationem, sed sequeretur contra l. 12. §. 14. h. t. Patescit 3. sub negotio efficiendo contineri negotium vel differendum vel omninò omitendum. In d. §. 14. est negotium differendum, ut si mandem tibi ut expectares, ne urgeres debitorem ad solutionem: ut ei des intervallum. In l. 10. §. 6. ff. h. t. est negotium omittendum, quo alicui possum mandare, ut à Titio stipuletur liberationem, cum liberationi inest ommissio actionis, quâ debitum postularet.

(k) Obstat liberum esse mandatum suscipere, l. 22. §. ult. h. t.

By. hoc



R. hoc non dici in relatione ad ipsum mandatum, quod semper est susceptum, & de eo, quod nondum est susceptum, asseritur nondum esse mandatum, sed in relatione ad eum, qui nondum suscepit mandatum, quatenus ei liberum est mandatum suscipere vel non.

(1) Hoc cum cæteris contractibus est commune, quod è voluntate mutua profiscatur. Ex eo etiam est differentia inter contractum mandati & mandata principum: quod mandata principum ab initio sint necessitatis, Hunnius ad *Treutlerum* vol. 1. disp. 27. th. 9. lit. d. Obstat l. 12. ff. d. procuratorib. in qua procurator, qui mandatarius est, cogi potest. R. ibi esse negotium suscipiendum & susceptum. Est negotium suscipiendum in relatione ad ea, quæ mandatum sequuntur: est susceptum in relatione ad ipsum mandatum. Seu est suscipiendum in relatione ad ea, quæ mandatario incumbunt, est susceptum in relatione ad ipsum mandatum. In l. 8. §. ult. eod. dum proponitur procurator ad litem suscipiendam datus, proponitur negotium & suscipiendum & susceptum. Suscipiendum est in lite suscipienda: susceptum est in procuratore dato.

### CAPVT III.

#### Th. IV.

Personæ mandatū contrahentes sunt Mandans (a), Mandatarius (b), isque vel unus vel plures (c), & qui his annumerari potest (d).

(a) Qui vocatur dominus, l. 6. §. pen. l. 7. l. 10. §. 5. & 10. ff. h. t. quod dominium est in Patre, Usufructuario, seruo. Vid. Bachovium ad *Treutl.* vol. 1. disp. 27. th. 2. lit. A.

(b) Ant. Matthæo ad *h. Inst. tit.* vocatur procurator: eapropter Hortensio ad *eund.* mandatum est conventio, quâ roganti fides datur procurandi aliquid ejus nomine. Vide Giphanium ad *tit. ff. d. procurat. num. 4.* Hilligerum ad *Donell. lib. 13. c. 11. lit. A.* Obstat mandatarium posse vocari mandantem, quia etiam mandatarius alteri rursus mandare potest, l. 8. §. 3. ff. h. t. l. 28. ff. d. *Neg. Gest. c. 1. de procurat. in 6.* Resp. inde non sequi mandatarium posse vocari mandantem, quoniam mandans refertur ad primum mandatum seu ad primum mandantis actum: mandata-  
rius



rius refertur ad secundum actum, quo mandatum suscipitur. Hoc tamen admitti potest mandatarium fieri mandantem novo mandato. Obstat Richterus *d. lit. a.* juxta quem in jure non legimus hoc vocabulum, *Mandatarius*, in ea significatione, ut sit is, qui mandatum suscipit. Resp. de voce dubitare possumus, non de vocis significatione: quis enim tam absurdus esset, qui voce mandatarii intelligeret mandantem? Non magis per mandatarium intelligi potest mandans, quam per pistrinarium de quo in *l. 1. §. 9. ff. depos.* intelligi potest is, qui servum custodiendum in pistrinum conjecerit. Vide *l. 5. C. d. Accus. c. mulieres. x. de sent. excomm.* Forfan idem, qui vocatur procurator, vocari potest Actor, *l. 1. §. 1. quod cujusq. univ. nom. Syndicus, d. §. 1.* ubi Dion. Gothofredus *lit. q.* notat à Lampridio in *Alexandro* eundem Syndicum vocari defensorem. Sic in *c. quia in causis. c. petitio. x. de procur.* jus canonicum sub nomine procuratoris Syndicum, Actorem, quemlibet Ecclesiasticarum rerum Administratorem, Præpositum, Oeconomum, Vice dominum complectitur. Hi omnes, & qui hujus sunt farinae, in medios dormiant dies, olim, cum calidiùs uret, evigilabunt.

(e) Etiam plures mandatum suscipere possunt, & si in se susceperint, singuli in solidum obligantur, quia mandatum continet factum, facta autem divisionem non recipiunt. *l. 72. in princ. ff. d. V. O.* Ostermannus in *colleg. Colon. Jurid. disp. 27. th. 13.* unius tamen solutione reliqui liberantur, *l. 60. §. 2. h. t.* quia mandati actio tunc competit, cum coepit interesse ejus, qui mandavit: cæterum si nihil interest, cessat mandati actio, *l. 8. §. 6. ff. eod.* Vid. Bachovium ad *Treut. vol. 1. disp. 27. th. 2. lit. D.* Stamlerum *d. contractibus disp. 13. th. 38.*

(d) An Mandanti & Mandatario annumerari possint Excommunicatus & Deportatus? dum mecum exploro, qui Dd. huc illuc agitentur,

*Et lubet & timeo, nec adhuc exacta voluntas*

*Est satis, in dubio pectora nostra labant.*

Quoad Excommunicatum respondet Bachovius *vol. ad Treutl. 1. disp. 27. th. 2. lit. A.* excommunicationem esse penam spiritualem, nec bona nec aded jus contrahendi adimere. Quâ Bachovii assertionem obviam itur iis dubiis, quæ apud Covarruviam *tom. 1. relect.*



velet. i. c. peccatum. d. R. I. in 6. part. 2. §. 10. moventur. Non obft. i. in-  
telleximus. x. d. judic. utcunque enim excommunicatus per fe in  
judicio non compareat, non tamen ab eo tollitur mandatum,  
quo per alium in judicio comparet. 2. distinguendum est cum  
Canoniftis inter excommunicationem majorem & minorem,  
quia excommunicatus excommunicatione majori fe paratur à  
communione hominum & perceptione sacramentorum. 3. di-  
ftingui poteft inter actorem & reum. Quoad actorem obfervatur  
illa diftinctio, inter excommunicationem majorem & minorem,  
quæ fi non obfervaretur, poffet actor agere ex fua malitia & con-  
tumacia, propter quam ei indifta eft excommunicatio major.  
Quoad reum non obfervatur illa diftinctio, ne ex fua pœna con-  
fequatur lucrum, quod exigere eft actoris: comparere autem per  
alium in judicio eft rei, quâ demum cunque excommunicatione  
fit excommunicatus. Nunc fi quis interroget, an huic excom-  
municato commune fit judicium finium regundorum, familiæ  
ercifcundæ, communi dividundo, in quibus uterque eft actor &  
uterque eft reus? refp. in tantum huic excommunicato effe com-  
mune, fi non fit actor nec primus ad judicium provocet; verum  
fi fit reus & alterius actionem expectare malit. Vide Arnifæum  
d. jur. Majest. libr. 2. c. 6. n. 6. auth. credentes. C. de Heret. & Manich.  
Quoad Deportatum d. loc. refponder Bachovius eum, contra  
quàm putat Treutlerus, mandare poffe. Probatum tum arg. tex-  
tûs generalis in l. 17. §. 1. d. pœn. tum fpeciali textu in l. 7. §. 13.  
d. interd. & releg. Et vitiofa eft Treutleri ratio, quòd deportatus  
etiam poft fententiam omnia fifco acquirat: quoniam id hæc-  
tenus verum eft, ut mortuo deportato fuccedat fifcus, l. 2. C. d. bon.  
profcip. l. 15. d. interd. & releg. Statim autem fifcum bona illa non  
fequuntur, fed interim deportatus, dum vivit, eorum admini-  
ftiator eft, & quod citra fraudem fifci fiat, fuper iis contrahendi  
habet facultatem. Et porrò igitur vitiofè cum Cujacio l. 22. §. 5.  
ff. mand. explicat de relegato: fiquidem relegatorum bona irre-  
gulariter & ferè contra rationem juris publicantur, arg. l. 5. d. in-  
terd. & relegat. & in d. §. 5. bona poft quæfita negantur fequi fi-  
fcum comparative & oppositive ad ea bona, quæ fuerunt tem-  
pore deportationis, quæ ftatim ad fifcum tranfeunt, illa verò de-  
mum mortuo deportato. Hæc Bachovius. Nos fimpliciori pe-

C





de incedamus, & quidem cum Stamlero *d. contract. disp. 13. th. 36.* juxta quem liquidè constat Deportatum retinere ea, quæ sunt juris gentium, *d. l. 17. ff. d. pœn.* & mandatum istius est juris. Quod cum est, uti revera est, quid causæ est tandem, cur deportato contractu mandati interdiceremus? nisi fortassis & hoc fundamentum enervare quis velit, ex *l. 2. ff. de interd. & releg.* ubi statuitur deportato permissum non esse, ut servum manumittat, tametsi manumissio sit juris gentium, *l. 4. ff. d. just. & jur.* Etenim animadvertendum est eatenus deportatum non amittere ea, quæ sunt juris gentium, quatenus sine incommodo & fraude ficti fieri possit, quod in manumissione non eveniret, *d. l. deportatus. 15.* & idè nullius efficaciam atque momenti est, Arumæus *exerc. 5. th. 7.* Elias Rober. *disput. Inst. 17. th. 12.* Nunc audiamus elegantius, si Diis placet, ingenium. Sic Hunnius ad Treutl. *d. disp. 27. th. 2. lit. A. quest. 4.* Mihi circa propositam quæstionem hoc modo statuendum videtur, ut deportatus mandatum contrahere, exindeque alium sibi naturaliter obligare, & vicissim alii obligari queat, sed civilem obligationem & actionem ex ejusmodi contractu sibi acquirere nequeat. Ut ita statuam movet me imprimis, quòd contractus mandati sit juris gentium: juris gentium verò communionem etiam deportatus habeat, ut qui jus civile duntaxat per deportationem amittit, *S. minor. l. d. cap. dimin.* Non obst. quòd deportatus non solum omnia bona amittat, quæ habuit tempore deportationis, sed etiam universa illa, quæ postea quandoque acquisierit, fisco acquirat, *l. 2. C. d. bon. proscip.* Nam etsi nihil quicquam in bonis haberet aut habere posset deportatus, mandatum tamen nihilominus contrahere valeret, quia facta quoque mandari possunt. Quoniam nihil omninò quicquam prohibere videtur, quò minus deportatus contrahere queat. Ex eo tamen contractu dixi illum naturalem solum obligationem sibi acquirere, obligationem verò civilem & actionem nequaquam, quia deportatus juris civilis communionem non habet, *l. 17. S. 1. ff. d. pœn. l. 15. ff. d. interd. & releg.* Non refragante *d. l. 22. S. 5. ff. mandati*, hoc siquidem de deportato intelligi non debet, quoniam loquitur expressè de eo, qui post sententiam bona acquisita sibi retinet. Atqui proscriptus & deportatus nec ea bona retinet, quæ post sententiam sibi acquisierit, *l. 20.*



rit, l. 2. C. de bon. proscript. Quoniam verius videtur d. l. 22. §. 5. intelligendam esse non de deportato, sed de eo, cujus bona salvo ipsius statu sunt publicata. Nec huic interpretationi refragatur, quòd si textus ille de eo loqueretur, cujus bona salvo statu ipsius sunt publicata, non daretur actio utilis, sed directa. Nam per utilem actionem hoc in loco non ea intelligi debet, quæ directæ opponitur, sed eam accipi oportet, quæ efficax sit, sicut non rarò in jure nostro utilis actio pro efficaci ponitur, ut in l. hominem. 37. ff. mandati. l. ex empto. §. is qui vina. ff. d. act. empt. princ. l. de vi. bon. rapt. Hucusque elegantius Hunnii ingenium, in quod illud Poëtæ proludamus,

*Tu Philomela potes vocum discrimina mille,*

*Mille potes varios ipsa referre sonos.*

Verùm excutiamus illa Hunniana. Primò contrahere mandatum nemo potest, qui naturaliter tantùm obligat, ne plus sit in causa, quàm in effectu. 2. Si posset intelligi obligatio naturalis, aut intelligeretur illa infirmior, quæ tantùm est remuneratoria, quæstio autem remunerationis in mandato, quod est gratuitum, non habet locum, aut intelligeretur ea, quæ admittit effectus civiles, quæstio autem effectuum civilium in deportato non habet locum. 3. Si deportatus alii obligari potest, illa obligatio non erit duntaxat naturalis, sed erit mater actionis, quâ obligatus conveniatur, vel erit obligatio naturalis, si obligatio naturalis est illa juris gentium, quæ ab obligatione civili non distinguitur. Vide d. loc. Bachovium, cui addere possum cum Pacio cen. 4. qu. 87. exceptionem ex novella const. 134. c. ult. nisi superstites sint liberi aut parentes ipsius deportati, quibus personis Justinianus hæc tribuit. 4. Inde sequeretur deportatum aliquid in bonis habere posse, cujus nomine mandatum contrahat. 5. Sequeretur non fore necessum deportati mandata restringi ad facta, quæ rebus opponuntur. 6. Absurdum est deportatum non obligationem civilem & actionem acquirere, quia non habet juris civilis communionem, cum, quod habet Costal. ad d. l. 22. non prohibeatur deportatus actiones suas vendere & cedere, sicut in excommunicato dicimus, qui quanquam non agat, c. intelleximus. d. judic. tamen potest actiones cedere, & cessionario rectè actio accommodabitur. 7. Et in hoc peccat





Hunnius, quod actiones esse posteriores juregentium putet. Vide Bachovium *diff. d. Action. 1. th. 12. 8.* Nunquam credidi in locum deportationis successisse bannum Imperiale, quamvis id crediderit Gœddeus *d. C. & C. S. c. 7. concl. 4. num. 32.* sibi enim contradicit ibidem *num. 33.* ubi privatur bannitus regiâ viâ & defensione, cuique datur impunè offendendus, bona & corpus ejus omnibus diripienda lacerandaque exponuntur, ut à nemine recto recipiatur: ut hostis Reip. habeatur. Hac propter ut hæc in bannitis hodie certo jure & constitutionibus Imperii obtineant, eandem tamen olim causam fuisse deportatorum valde dubium fit Hilligero ad Donell. *libr. 17. c. 4. lit. g. 9.* In hoc numero forsitan repertæ aut potius amissæ sunt novem Musæ, nam vult Hunnius *d. §. 5.* per utilem actionem non eam intelligi debere, quæ directæ opponitur, sed eam accipi oportere, quæ efficax sit: quasi illa actio, quæ mandatur, sit directa. Vide Duarenum *ad b. tit. c. 2. sub. fin.* Bachovium *diff. d. action. 4. th. 4.* ubi in hac materia plures Hunnii errores notat. 1. tradit mandare & cedere differre tanquam speciem & genus, & quod actiones quædam cessæ non sint mandatæ. 2. actiones directas etiam ex propria cessionarii persona exerceri posse. 3. actiones directas tantum exerceri posse in commodum cessionarii. 4. quod procurator habeat utiles, cum procurator, quæ talis, tantum habeat actiones directas, non utiles, nam utiles tantum proprio nomine competunt. Alia absurda ibidem notat Bachovius, sed à proposito magis remota. Ut tamen aliqua succurramus Hunnio, largiemur ei posse esse actiones utiles, quæ directarum naturam retineant. In *l. 2. quand. ex fact. tut.* Si tutor vel curator pecuniâ ejus, cujus negotia administrat, mutuâ datâ ipse stipulatus fuerit, vel prædia in nomen suum emerit, *utilis actio ei, cujus pecunia fuit, datur ad rem vindicandam, vel mutuam pecuniam exigendam:* quæ utilis actio directæ naturam retinet.

*Th. V.*

Personæ eorum, qui mandatum contrahere nequeunt, sunt in universonum omnes, qui ad mandatum contrahendum & se obligandum idonei non sunt (a), in specie ut idonei non sint, facit metus (b), cui aliqui compa-





comparant preces importunas (c), potestas (d), sexus infirmitas (e), ætas (f), vitium animi (g), vel corporis (h) denique favor publicus, qui est militiae (i).

(a) Non enim mandatum accipi debet ut præceptum, quod omnibus sit commune, sed cum mandare & mandatum suscipere sit de genere permissorum, omnes mandare & mandatum suscipere possunt, qui non prohibentur. Vel consideratur mandatum, ut in *c. cum apud sedem. 23. x. d. spons. & matrim.* edictum de contrahendo matrimonio prohibitorium, quo qui non prohibetur, per consequentiam admittitur. Vide l. 43. §. 1. ff. d. procur.

(b) Vide l. 2. in princ. ff. d. Judic. Quærent hîc Dd. An in iis casibus, quibus metus cadens in constantem virum irritat contractum, idem dicendum de metu non gravi absolute, sed respectivè in ordine ad fragilitatem talis personæ, quæ facilius deterretur? Aliqui videntur id negare, quos refert Sanchez libr. 4. de matrim. disp. 3. num. 1. Alii tamen id absolute affirmant in matrimonio & in omnibus contractibus. Et probatur ex *c. indignantur. 32. q. 6. c. sicut. 1. d. homicid.* Ratio est, quia quicquid operatur metus major in viro robusto & constante, operatur metus minor in puero vel fœmina timida: ergo eodem modo ei succurrendum fuit per irritationem vel irritabilitatem contractus. Advertit idem Sanchez *d. loc. num. 5.* non solum attendendam majorem probabilitatem mali futuri, quæ requiritur magis in viro quàm in fœmina vel puero, sed etiam attendendam esse quantitatem mali cum æquali probabilitate: minus enim malum sufficit ad æquè deterrendam personam timidiorum cum æquali certitudine vel probabilitate de ipso futuro. Quod autem dictum est de puero vel fœmina, locum habet etiam in comparatione facta inter ipsas fœminas vel viros, aliqua enim fœmina minori malo deterretur quàm alia, quod idem est in viris propter diversam indolem vel naturæ constitutionem.

(c) De precibus importunis qui agunt, iis videntur vim tribuere illam, quæ metum incuriat gravem. Pro resolutione agit Cardinalis de Lugo *d. J. & J. disp. 22. Sect. 7. num. 144.* metum gravem non posse inveniri, nisi ubi timetur aliquod malum inferendum ab eo, qui metum incutit: metus enim essentialiter est



de malo aliquo. Sufficit autem, quod malum illud explicitè vel implicitè minetur ille, qui precatur. Hoc verò malum si non sit grave, saltem respectivè ad illum, qui rogatur, sed leve, non erit metus gravis sed levis; imò si id, quod timeo, non tam est malum, quàm jactura lucri, non facit malum, nec consensus dabitur tunc ex metu, sed ex concupiscentia boni illius, quod desidero. Quare si moveor precibus importunis illius, à quo spero & desidero magnum aliquod beneficium obtinere vel hæreditatem aut legatum, & assentior precibus, ne amittam illud lucrum, non operor propriè ex metu, sed ex concupiscentia. His positis dicendum videtur, quoties preces importunæ extorquent consensus, eò quod si non consentias, times malum aliquod grave, saltem respectivè, quod damnum justè inferatur, aut inferendum timeatur, consensus erit ex metu gravi, & perinde judicandum erit de illo, sicut si consentiret, eò quod aliquis grave malum tibi minaretur. Secus quando tale grave malum non minatur.

(d) In primis mandare non potest servus, quoniam inter servum & liberum judicium civile consistere non potest. *l. ult. C. de Noxal. action.* quod civile judicium Gajo in *l. 107. d. R. J.* est actio. Vid. Harpprecht. *ad princ. Inst. h. r. num. 46.* cui forsan addi potest Servos habere communionem juris gentium primævi, quo omnes homines æquales sunt, sed non habere communionem juris gentium secundarii, è quo est mandatum. Vid. Richterum *d. contractib. disp. 12. th. 1. lit. b.* cui addi potest, hoc mandatum in persona servi infirmum in domini persona sustineri. Vid. Wesenbec. *ad tit. de procur. num. 4.* cui concedimus suam responsionem, sed cum Bachovio ibidem *lit. m.* negamus hunc esse statuliberum, qui de statu suo litigat: nisi dicamus statuliberum esse & eum, cujus libertas ab eventu litis pendet: aut putet aliquis adversarius eum non esse statuliberum, qui est statuliber. Obstat *S. 2. Inst. d. stip. serv. l. 3. S. 6. d. pecul. l. 53. d. cond. ind. l. 66. d. Fidejuss. l. 1. C. d. Furt.* Respondebitur.

(e) Ob eam non mandat mulier. Distinguitur tamen inter causam suam & alienam, *l. 10. S. 6. h. t. l. 32. in S. ff. d. Neg. gest. l. 7. ad Sctum Vellejan. l. 48. d. Fidejuss. l. unic. S. 15. C. d. R. V. A. l. 4. l. 21. C. d. procur.*

(f) Quæ est infantium, Pupillorum, Minorum. Infantes excusat





excusat consilii innocentia, l. 12. ff. ad L. Corn. d. Sicar. ob quam talis ætas, quicquid videt, ignorat, l. 1. C. de fals. mon. Hac propter leges civiles crudele esse dicunt, ut infantes omnis tum doli, tum culpæ incapaces peccasse intelligantur, l. 33. in S. C. d. inoff. testam. Sub infante etiam continetur infantia proxima, qui non amplius est infans, sed excessit annum 7. Quod notatur vel adversus Ludov. Molinam d. J. & J. tract. 2. disp. 224. num. 30. ubi infantia est proxima, qui non pervenit ad annum decimum cum dimidio, si masculus sit, aut ad annum nonum cum dimidio, si foemina sit. Fatendum est eum eamque, qui quæque ad eos annos non pervenerunt, esse infantia proximos; sed etiam sunt infantia proximi, qui duntaxat excessere annum 7. vel hi non sunt infantia proximi, sed infantia quam pubertati propiores. Notatur quoque adversus Manzum ad §. 9. Inst. d. inutil. stipul. n. 12. ubi ex Schneidewino docet infantiam durare per totum septennium & usque ad pubertatem: quod si verum est, falsa est l. 18. in princ. C. d. jur. delib. in quo infans est minor 7. annis. 2. si infantia duraret usque ad pubertatem, duraret infantia post infantiam. 3. nulla esset differentia inter infantia & pubertati proximum. Vide Gæddeum d. C. & C. S. c. 7. num. 183. Pupillos excusat iudicii voluntatisque imperfectio, propter quam absentium loco habentur. Et obstat rerum experientia, quâ ætatis teneræ juvenes subtiliore ingenio ac sapientiâ provectiores superârunt. Ovidius talem indolem in Germanico Cæsare admiratur ea scribens ad Crassi manes,

*Ultor adest primisq; Ducem profitetur in annis;  
 Bellaq; non puero tractat agenda puer.  
 Parcite natales timidi numerare Deorum,  
 Cæsaribus virtus contigit ante diem,  
 Ingenium cæleste suis velocius annis.  
 Surgit & ignava fert male damna mora:  
 Parvus erat manibusq; duos Terynthius angues  
 Pressit & in cunis jam Jove dignus erat.*

In *Acerra Philologica* legimus Groningæ in Frisia fuisse Johannis Canteri filium idoneo ad omnia ingenio. Quod cum in eo pater observasset, eum eò diligentius præceptoribus suis commendavit, sub quibus in tantum profecerat, ut anno 10. Theologiam docuerit



docuerit & juris scientiam tam exactam habuerit, ut Doctor fuerit creatus. Hæc pueri celebritas commovit Imperatorem Fridericum III. ut miserit ad eum Legatos & literas, in quibus ipsum Viennam vocabat, congiariis invitabat, spe meliori urgebat, se impositurum Doctoris tiaram, ac summos in aula Cæsarea honores collaturum pollicebatur. Non respondebo cum quibusdam hoc ingeniorum præcox genus nunquam pervenire ad frugem: non cum Catone Censorio apud Plinium *libr. 7. c. 51.* senilem Juventam præmaturæ mortis certissimum esse indicium. Non comparisonem instituum cum hortis Adonidis, quos Plato in *phæd. prope fin.* diebus 8. florescere & deflorescere dicebat. Ne mihi replicet Salaputius, quod Angelotio Cardinali, qui pueros istos ingenio præcellentes mox hebetes fore divinabat, *Tu sapientissimus olim puer fuisse judicaberis*, qui senex desipere, ac tantum non delirare cœperis. Aut saperda ille, qui secundam trieridem necdum absolvebat, cum à Laurentio Mediceo, Florentinæ Reipubl. moderatore, coram Legato Philippi Mariæ vice-Comitis, Insubriæ Domini, sisteretur, ubi quum iudicii sat virilis cum reliquorum admiratione specimen exhibuisset, prædicante Legato fulgur hoc ex pelvi velut statim irritum ac evanidum fore, tarditatemque instare, imò verò stupiditatem imminere iis ingeniis, quæ tam propere ad tantam solertiã emerfissent, *Ne tu ipse*, inquit *puerulus perquã promptus, id expertus testaris, ut qui optimo olim fueris ingenio, cum nostram adhuc ætatem ageres.* Non etiam distinguam inter sapientiam & in agendis rebus prudentiam, sed æstimanda censeo mentis humanæ bona, è quibus si tantum pateat iudicium, in pupillo virum, in viro mandati efficaciam non desiderabimus. Cautè tamen indulgeamus. Quamvis enim, ut notat Pichardus ad *tit. I. d. Auth. tut. num. 8.* ante pubertatem aliquando alicui iudicium & prudentia contingant, & aliis multò tardius, tamen utile est nullum certum tempus pupillari ætati præscribere, cavillationum & litium finiendarum causâ, quæ ex hac incertitudine orientur. Adhæc in pupillo alicui arridere potest, quod non cunctis arrideat. Quærat pupillus, quid opus solariis & his observationum nugis, unicuique unum & non fallax solarium esse ventrem, ubi is monet sumere, cibum esse sumendum:



mendum: hæc quæstio alicui arrideat, non cunctis. Arridere potest si puer sectetur convenientiam, quâ brevior togam breviori, proceriori prolixiorē adjudicabat; arridere tamen potest & illud factum, quo apud Xenophontem traditur cæsum virgis eum, qui malè judicabat, è duabus togis alteram adjudicando ei, qui procerior esset è duobus pueris & breviori breviorē; penes hunc convenientia, penes illum jus erat. Vid. Raderum in Martialem, *libr. 6. c. 22.* ubi adducit Gellium *libr. 3. 2.* cui in juvenilibus ingeniis idem placet, ut in pomis immaturis acerbitas ipsa placet. Quintilianum *lib. 1. c. 3.* Alciati *emblemata 208. d. Amygdalo.* Hujus ingenii fuisse Hermogenem, qui octodecimus conscripsit Rhetoricam, anno verò quarto & vicesimo mentem memoriamque propè rerum omnium amisit. Ventilentur *l. 3. §. ult. junct. l. 4. d. tribut. act. l. 13. in §. ff. d. dol. mal. l. 1. §. 15. ff. depos. non obstant.* Quemadmodum infantes & pupilli mandare non possunt; ita non possunt minores. Vid. Barbosam ad *l. 3. C. d. in integr. rest. min. num. 7. 8.* Manticam *d. tac. & ambig. convent. libr. 4. tit. 6. num. 63.* Pinellum in *l. 1. C. de Bon. matern. pag. 3. num. 30. cum seqq.* Gœddeum. *d. C. & C. S. c. 7. concl. 13. num. 269.* Ungebaur *exerc. Inst. 10. quest. 4.* Frantzkiū *exerc. 3. quest. 5. num. 8.* Ratio est apud Pacium in *anal. ad hunc tit. cui Mandatum est contractus,* qui consensu perficitur, de alieno negotio gratis periculo mandantis bonâ fide gerendo. Igitur Minor mandati sui delatione mandati periculo se illigaret. Et verò si mandans se non illigaret, mandatum, quod originem ex officio atque amicitia trahit, *l. 1. §. ult. ff. h. t. mand. nemo susciperet.*

(g) Non mandant *Prodigi, Mente capti, Ebrii, Furiosi.* Non prodigi, quorum nulla est voluntas, *l. 40. d. R. J. in l. 9. §. 7. ff. d. R. C.* prodigi & pupilli comparantur. Quod tamen non ita simpliciter est accipiendum, ac si naturaliter planè nihil prodigi possent velle, sed eo sensu, quo jura nostra aliquid non fieri vel non rectè fieri pro iisdem habere solent. In effectu enim idem esse videtur nullam prudentiam habere, vel illam in negotiis gerendis, ubi opus est, non adhibere. Non mandant *Mente capti,* qui nullum quidem furorem & rabiem extrinsecus ostendunt, sed qui in quiete ineptiunt & delirant, Baldus in *l. humanitatis. 9. C. d. imp. & aliis. subst. l. 2. C. d. Curat. furios. l. si furiosi. C. d. Nupt. An idem,*

D



quod de *Mente captis* est assertum de iis, qui *oculis sunt capti*, est asserendum? Neg. quia si tutores cæci facti possunt authores fieri, *l. 9. C. d. Excusat. tut. l. 16. de auctor. & conf. tutor.* Si oculis capti possunt postulare, *l. 1. §. 5. d. postul.* etiam mandant. Si Appius Claudius cæcus optimè præfuit rei suæ familiari, atque adeò Senatoris munia obiit, quare non mandasset? Obstat *l. 40. in princ. ff. d. excus. ubi post susceptam tutelam cæcus eam deponere potest. & deponere posse, posse & non deponere, quod utrumque est ipsi liberum, si utroque oculo sit captus, non si unum amisit. d. l. 9. 2.* etiamsi cæcus non mandare posset nomine tutelæ, mandare tamen posset nomine alio, ut si judicandi officio fungatur, *l. 6. ff. d. judic.* Vid. Ant. Fabr. in *jurisp. Papin. tit. de tutel. princ. l. illat. 4.* Non mandant *Ebrii*, qui ignoratione sui dubia & parùm explanata verba frangunt, incertos oculos circumferunt, gradibus errant, rectaque ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente, arbitrantur. Ratio est apud Richterum *d. contract. disp. 12. th. 1. lit. b.* quia nullo consensu, nullo vitæ gerendæ recto consilio sunt instructi, dum quid faciant quidve loquantur, ignorant. Vide *Ælianum libr. var. histor. 13. c. 4.* *Carpzovium in pract. crim. part. 1. quest. 18. num. 43. part. 3. quest. 146. n. 1. & seqq.* *Bonifacium libr. histor. ludicr. 9. c. 6.* *Erasmum in Ecclesiast. libr. 1.* Non mandant *Furiosi*, quos fati infelicitas excusat, *l. 12. ff. ad l. Corn. de Sicar. §. 8. Inst. d. inutil. Stip. l. 10. de off. Pras.* Vid. Richterum *d. Contractib. disp. 12. th. 1. lit. b.* *Hering. d. Fidejuss. c. 7. n. 116.* *Vaudum libr. var. quest. 2. quest. 7.* *Carpzovium in pract. Crimin. part. 3. quest. 145. num. 4. & seqq.* *Heigium part. 2. quest. 38. n. 32. 33.*

(b) Mandare vetantur illi, qui naturæ motu neque auditum habent, neque loquelas fundere possunt, adeoque animi sensa exprimere non valent, *Stamlerus de contract. disp. 13. th. 32.* Vid. *Ant. Fabrum ad l. 43. in princ. ff. de procur. cui addi potest, forsitan mutus & surdus per eum modum, qui procedere potest, & ipsi procuratores dantur, ubi non de muto & surdo procuratoribus datis, sed de modo, quo dantur, dubitatur. 2. non tam dubitatur, an dentur procuratores, quàm ad quid dari soleant? & respondetur in d. l. non quidem ad agendum, sed ad administrandum. Vide Gœddeum ad l. ult. d. V. S. Phil. Matthæum ad l. 124. d. R. J.*

(i) Idonei





(i) Idonei non sunt ad mandatum contrahendum Milites, ne omisso armorum usu ad opus non militare se conferant, & mandatariis graves præsumptione cinguli militaris existant, qui armis, non privatis negotiis debent occupari, ut numeris & signis suis jugiter inhærentes, rempublicam, à qua aluntur, ab omni bellorum necessitate defendant, l. 31. C. d. locato cond. ubi glossa idem extendit ad milites cœlestis militiae. Obstat l. 8. d. R. 7. Resp. ibi non proponi jus strictum, quod sub obtentu militiae adversaretur, sed proponi æquitatem, cujus partes non negat præses provinciae, si ( ut proponit miles ) pars adversa pecuniâ militis nomine suo comparavit, sed desideranti concedit utilem vindicationem. 2. In d. l. 8. miles non infert actionem mandati seu negotiorum gestorum, sed militi infertur actio mandati seu negotiorum gestorum, & adversus inferentem præses provinciae jurisdictionem præbet. 3. etiamsi proponeretur miles mandati seu negotiorum gestorum actionem inferens, illa actio ad causam militarem adstringeretur. 4. proponitur privilegiû acquisitionis militaris, quæ sine ullo periculo cõsistit. 5. Idonei non sunt milites ad mandatum contrahendum ob favorem publicum, qui est militiae, quatenus favor militiae repugnat & in omnibus est superior. Obstat militaris licentia, quâ militibus in omnes & in omnia licet. Resp. ne quidem in causa militari esse licentiam, quam coërcere animadversio solet. Ideoque olim, quod notat Christianæus *decis. cur. Belg. vol. 5. decis. 43. num. 40.* qui longius à tubæ auditu absque Imperatoris aut Tribuni jussu extra munimenta abiisset, in eum militaris animadversio erat, ne scil. vagi vel vagabundi milites sint vel fiant, & solutiore curâ obambulantes in hostili loco temerè progressi cædibus essent & periculis expositi: tum etiam ut à rapina continerentur: Lyfander Lacedæmonius quendam egressum è via castigabat, cui dicenti ad nullius rei rapinam se ab agmine recessisse, respondit: ne speciem quidem rapturi præbeas volo. Alexander quoque Severus, si quis de via in alicujus possessionem deflexisset, jubebat eum fustibus cædi, & dum castigaretur, per præconem proclamari: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Pompejus missus in Cæciliam Legatus, cùm audiret milites in itinere sæpe evagari, vimque hominibus facere & prædas avertere, eos, qui





temerè oberrabant, suppliciis compescuit, & à se missorum gladiis sigilla imposuit. Vide Valerium M. *libr. 2. c. 7.* Quintilianum in *milite Mariano.*

*Th. VI.*

Hactenus subjectum activum & personas eorum, qui mandatum contrahere nequeunt, deduximus; nunc progrediamur ad subjectum passivum, & personas eorum, qui mandatum suscipere nequeunt (a), & de quibus, an mandatum suscipere possint? dubitatur. In quibus sunt Debitor (b), Filiusfam. (c) Mulier (d), Minor (e), liber homo, qui bonâ fide servit (f), Magister navis (g), iudex pedaneus (h), Miles (i).

(a) Quinam illi sint, ex subjecto activo in proclivi est cognoscere. Qui enim impediuntur mandatum contrahere metu, eodem metu impediuntur suscipere mandatum. Idem quoad potestatem, sexûs infirmitatem, ætatem, vitium animi vel corporis, favorem publicum absolutè partim, partim sub limitationis clausula, utè transiitione ad specialia dispalescet, imus assertû.

(b) An Creditoris sui negotia gerat? quod affirmat Richter d. *contract. disp. 12. th. 1. lit. g.* & dum id affirmat ex *l. 6. §. 6. in fin. h. tit. mand.* addit, quò tamen non pertinet Species in *d. §. 6. in princ.* de quo *princ.* dubitari non poterat, nî credamus, quod credere esset absurdissimum, in constituto procuratore esse constitutum debitorem, & eo ipso quem fieri debitorem, quo fit procurator. Aut nisi credamus penes alium posse esse debitum, & penes alium posse esse debiti periculum, cum tamen nec incendium ære alieno exuat debitorem, *l. 11. C. si cert. pet.*

(c) De filiofam. idèd dubitatur, quia pater ei mandare non potest, cum vox patris sit vox filii, & vox filii sit vox patris, *§. 4. l. d. inutil. stipul.* Resp. supponi fals. hypothesein, ac si pater filio mandare non posset. 2. In hoc casu pater & extraneus non distinguuntur. In *l. 23. ff. d. Minorib.* cum mandato patris filius res administraret, non habet beneficium restitutionis: nam & si alius ei mandâsser, non succurreretur, cum eo modo majori potius consuleretur, cujus damno res sit cessura. 3. quemadmodum



dum vox patris sit vox filii, & vox filii sit vox patris, ipse §. 4. se-  
explicat, ubi subjiciuntur illa verba, *filii vox, tanquam tua intelligitur*  
*in his rebus, quæ tibi acquiri possunt.*

(d) Rationem dubitandi mutuari possumus è trita, non ta-  
men eodem modo decisa, quæstione, quâ quæritur, quid haben-  
dum, si mulier SCti Vellejani beneficio renunciet? Si enim re-  
nunciare potest, etiam renunciatione admisa mandatum susci-  
pere poterit. Verum illam quæstionem plenius explorent, qui  
SC. Vellejanum enodant.

(e) In persona Minoris ratio dubitandi est, quòd Minor non  
habeat legitimam personam standi in judicio. R. Richter d.  
*contractib. disp. 12. th. 1. lit. g.* si non habet in propria, habet tamen  
in aliena causa. Ratio diversitatis est, quòd Minor in propria  
causa stans possit lædi in judicio, at in aliena non item. Si quæ  
lætio hic contingeret, ea pertineret non ad minorem, sed ad ma-  
jorem, cujus causa agitur.

(f) Non obstat me eum, qui bonâ fide mihi serviebat, habe-  
re pro servo, & servum non suscipere mandatum. Resp. non suf-  
ficere illam quæstionem, an eum, qui bonâ fide mihi serviebat,  
habeam pro servo, quia non sufficit opinio; sed requiritur veri-  
tas, quâ habetur pro servo, qui est servus: nam si dominus ha-  
buerit pro servo eum, qui bonâ fide serviebat, eumque postea  
comperiat esse liberum, adversus eum actionem instituere pote-  
rit, arg. l. 13. §. ult. ff. commod.

(g) Circa Magistrum navis idè dubitatur, quia in l. 1. §. 4.  
ff. de Exercit. act. nihil interest, cujus conditionis sit magister, utrum  
liber an servus: & utrum exercitoris, an alienus. Resp. Interesse  
in relatione ad ipsum magistrum, cui expedit esse liberum po-  
tius quàm esse servum; non tamen interesse in relatione ad ipsum  
exercitorem, qui sibi imputare debet, quòd servum præposue-  
rit. Vellicèt nihil intersit quoad ipsam præpositionem; interest  
tamen quoad actionem nomine præpositionis competentem:  
nam si sit servus, cum eo exercitor nullam habet actionem, par-  
tim quòd in personam servilem nulla cadat obligatio, l. 22. d. R. J.  
adeoque nec actio, quæ ex obligatione oritur, l. 25. ff. d. O. & A.  
partim quòd actiones omnes juris civilis sint, l. ult. §. deinde. 6.  
ff. d. O. I. cujus servi capaces non sunt, l. 32. d. R. J. l. 13. Si quis



*caution.* Ludvvell. ad l. 107. d. R. 7. Si autem sit liber, adversus eum exercitor aut ex locato, si merces intervenerit, aut mandati, si non intervenerit, aget, Wesenb. ad  $\pi$ . de Exerc. act. n. 6. quantumvis nihil interesset quoad actionem nomine præpositionis competentem exercitori; interesset tamen quoad actionem nomine præpositionis adversus exercitorem, siquidem aliter teneatur exercitor ex facto hominis liberi, aliter ex facto servi: aliter item ex facto servi sui, aliter ex facto servi alieni: nam servi sui, non etiam alieni, nomine tenetur tantum actione noxali, si quid servus admiserit, cum ei sit ignoscendum, si servos suos quales quales adhibuerit ad regendam navem, si verò alienos aut etiam liberos homines, explorare prius debet, cujus fidei essent & innocentia. l. ult. §. 4. ff. Naut. caup. stabul. ut rec. rest.

(b) Perniciosè errant, qui mandatum cum iudice pedaneo confundunt, Mandatarius exercet jurisdictionem alienam. Iudex habet notionem propriam. Unde ab hujus sententia appellatur ad eum, qui Iudicem dedit. Vide Wissenbachium ad ff. disp. 6. th. 35. part. 1. Sic dubitari posset circa legatum proconsulis, de quo in l. pen. ff. d. Off. procons. & leg. sed nec ille est nudus mandatarius, qui à populo vel Imp. jungitur proconsuli, licet jurisdictionem non exercent, antequam mandata sit.

(i) In Milite dubium movet l. 8. §. 1. qui satisd. cog. ubi miles in rem suam fidejubeat: si autem fidejubeat, mandatum suscipere potest. Resp. Militem non posse fidejubere nisi in rem suam, & ita esse exceptionem, à qua ad regulam non argumentamur, arg. l. 4. C. de Procurat. De Militibus D. Joanni sacris vide Magerum d. milit. arm. c. 8. num. 410.

#### C A P V T I V.

##### Th. VII.

Modus contrahendi mandatum est varius, qui colligitur vel è præsentia (a), vel absentia (b), vel patientia (c), vel conditione (d), vel die (e).

(a) Obstat præsentiam non esse necessariam. Resp. nec nos asserere præsentiam esse necessariam, nam necessitas non admittit contrarium, quod hinc est absentia: hoc tamen inde colligitur, præsentiam esse faciliorem probandi mandati modum: ita ut si  
quærat



quærat de præsentia, hoc tantum quærat, An mandatum etiam inter præsentem sit celebratum, quod præsentia sit facilius probandi mandati modus. Vide l. 34. ff. d. LL. Obstat præsentiam nihil operari, cum præsentia sit etiam ejus, qui nihil intelligit. Resp. in sensu vulgari præsentiam esse ejus, qui nihil intelligit, alioquin infans in gremio matris vagiens à matre non audiretur: In sensu autem juridico præsentia est præsentis & intelligentis. Hinc furiosus, etiamsi sit præsens, absentis loco habetur, l. 2. §. 3. d. jur. Codicill. In l. 27. §. 5. de recept. eorum dicere sententiam videtur, qui sapientibus dicit: cæterum coram furioso vel demente non videtur dici. Vide l. 209. ff. de V. S. & ibidem Gœddeum.

(b) Cum etiam obligatio mandati in consensu contrahentium consistat, idè per nuncium quoque vel per epistolam mandatum suscipi potest, l. 1. in princ. ff. h. t. Mand. & ibidem Ant. Fabrum in *ration. lit. a.* Vide Bachovium in *vol. ad Treutl. disp. 27. th. 5. lit. E.*

(c) Hacpropter Molina *d. just. & jur. tract. 2. disp. 548. n. 1.* definit Mandatum esse gratuitam susceptionem aliquid exequendi, quod alius formaliter aut virtute ei injungit: quoniam qui videt aliquid in ipsius gratiam fieri & tacet, censetur id mandare, ac proinde licet illud formaliter non mandet, virtute tamen ac juris interpretatione id mandat. Feudistæ dum quærent, *An Feudum legari possit?* non in eo occupantur, an feudum commercio sit exemptum, sed an in feudo, quod commercio non est exemptum, non alterius versetur præjudicium? Et respondent versari præjudicium, quod domino & agnatis per istud legatum generari potest, & idè domini & agnatorum consensu debere testamentum condi: quod fieri videtur & eo casu, quo Vasallus testamentum de re feudali domino & agnatis præsentibus & non contradicentibus condidit. Cum enim contradicendo actum impedire potuissent, præsentia & patientia pro consensu habetur. Vide l. 12. in princ. ff. de sponsal. l. 15. in §. ff. d. Servit. l. 1. §. 3. d. trib. act. l. 28. Comm. divid. l. 5. & ult. C. d. LL. l. 3. ff. d. noxal. act. c. nonnulli. 28. x. de rescript. Obstat conniventiam non obligare & ideo nec patientiam. Resp. à conniventia, quæ se habet in relatione ad eum, cujus non interest, vel in relatione ad eum, qui interesse





interesse suum dissimulat, ad patientiam, quæ se habet in relatione ad eum, cuius interest, non procedere argumentum. Vide Mynsingerum *cent. 4. O. 79.* Streinium ad *c. ratihibitionem. 10. d. R. J. in 6. num. 3.*

(d) Quod purè fieri potest, etiam sub conditione. Obstat *l. 77. d. R. J. Resp. iis actibus jure annumerari mandatum.* Vide Ostermannum in *ration. ad S. pen. l. b. t.*

(e) Dies in eo contradistinguitur conditioni, quòd dies sit genus, conditio sit species. Nam dies alius est certus, alius est incertus, qui demùm conditionem facit, *l. 75. d. C. & D.* Hinc si opponatur dilatio, in qua dies & conditio conveniunt, dicimus ut est dies, ita dilationem aliam esse certam, aliam esse incertam. Obstat sub idem mandatum venire diem & conditionem. Resp. hoc arguere connexionem: connexio autem non est ejusdem, sed est duorum vel plurium.

#### CAPVT V.

##### *Th. VIII.*

Varii illius modi forma alia est ipsius contractûs (a): alia est contrahentium.

(a) Et consistit in consensu mutuo super negotio, quod quis gratis suo nomine gerendum committit, & alter ita commissum suscipit. In *l. 8. S. 1. ff. d. procurat.* Invitus procurator non solet dari: Invitum accipere debemus non eum tantùm, qui contradicit: verùm eum quoque, qui consensisse non probatur.

##### *Th. VIII.*

Forma contrahentium est, quâ Mandatum inter nos contrahitur, sive meâ tantum gratiâ tibi mandem (a), sive alienâ tantùm (b), sive meâ & alienâ (c), sive meâ & tuâ (d), sive tuâ & alienâ (e). Quod, si tuâ tantum gratiâ tibi mandem, supervacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio nascitur (f).

(a) Meâ tantùm gratiâ intervenit mandatum, veluti si tibi mandem ut negotia mea geras, vel ut fundum mihi emeris, vel ut pro me fidejubeas. Atqui cum mandavi tibi, ut negotia mea gereres, vel ut mihi fundum emeris, vel etiam ut pro me fidejubeas,

beres,



beres, nascitur inter nos obligatio & actio mutua, non quod mandatum meum susceperis, sed quia negotia mea gessisti, & mihi fundum emisti, & pro me fidejussisti; ex his enim causis, etiamsi mandatum nullum intervenisset, nasceretur tamen inter nos negotiorum gestorum actio. Resp. ad d. §. 1. Ant. Fabr. in ration. qui mea negotia gessit me mandante, non ideo tenetur quod gesserit; sed quod gerendi mandatum à me susceperit, ut ex eo intelligi potest, quod si post susceptum mandatum nihil gessisset, nihilominus ob hoc ipsum teneretur. Ex mandato igitur, non ex gestione, ut argumentatur Ulpianus in l. si remunerandi. 6. §. 1. h. t. consequenter fatendum est, non esse supervacuum hoc casu mandatum, cum obligatio mandati sola contrahatur, non etiam negotiorum gestorum, quæ vix est ut cum actione mandati concurrat extra casum l. 3. §. ult. d. neg. gest.

(b) Alienâ tantum, veluti si tibi mandem ut Titii negotia geras, vel ut fundum ei emas, vel ut pro eo fidejubeas. d. l. 2. §. 2. Hottomannus ad h. tit. num. 8. expungit vocem tantum: quod eam neque Gajus neque vetus liber habeat, expungendamque propterea censet, quia nisi aliquatenus mandantis intersit, obligatio non nasceretur. Interest autem non propter ipsum mandatum principaliter, sed propter accipientis causam. Itaque locum illum Ulpiani accipit in d. l. si remunerandi. 6. §. 4. Si tibi mandavero, quod mea non intererat, veluti ut pro Sejo intervenias, vel ut Titio credas, erit mihi tecum mandati actio, & ego tibi sum obligatus. Nam mea non interesse sic intelligit, quasi additum esset, principaliter. Idem tamen Hottomannus sibi contrarius libr. 4. O. 30. vult extrusam negativam. Vide Ostermannum, Manzium, Harpprechtum ad §. 3. h. t. à num. 36. Forfan res intelligi potest distinguendo mandatum ab actione mandati. Mandatum admittit vocem tantum: mandati actio non admittit. Vide Greve dissert. ad Inst. 12. th. 15. Vinnium ad d. §. 3. n. 2.

(c) Meâ & alienâ, veluti si tibi mandem, ut mea & Titii negotia gereres, vel ut mihi & Titio fundum emereres, vel ut pro me & Titio fidejubeas. Obstat mandatum in mea tantum persona, non etiam Titii consistere. Resp. ad d. l. 2. §. 3. Ant. Faber in ration. mandatum hoc ideo valere & obligatorium esse etiam quoad personam Titii, quia hoc ipso, quod tibi mando ut negotia

E





Titii geras, ego me negotiis ejus immisceo, meque ipsi obligatione negotiorum gestorum, si nullum ipsius ad me mandatum præcesserit, ideoque incipit mea interesse, ut Titii negotia gerantur & benè gerantur.

(d) Meâ & tuâ, veluti si mandem tibi, ut sub usuris crederes ei, qui in rem meam mutuaretur. Et hic *d. loc.* reperit Ant. Faber, quod refragatur, usuras non propter lucrum petentium, sed propter moram non solventium infligi, ut eleganter Papinianus scribit in *l. cum quidam. 17. §. si pupillo. in fin. d. usuris*. Ergo etiam si tibi mandem, ut sub usuris pecuniam credas ei, qui in rem meam mutuaretur, meâ tantum gratiâ fieri videtur mandatum, non tuâ. Resp. usurarum quidem condemnationi immediatam causam præbet mora non solventium, non lucrum petentium. Sed non inde fit, quia lucro creditoris cedant usuræ, & quidem mero lucro, cum accipiantur ratione pecuniæ, quæ suâ naturâ sterilis est, nec pecuniam gignere & parere potest. Vide Porcium ad *§. 2. l. h. t.*

(e) Tuâ & alienâ, veluti si tibi mandem, ut Titio sub usuris crederes. Atque mandatarius non obligatur. Resp. obligari & non obligari. Obligatur ex susceptione: non obligatur ex eo, quod mandantis non interest.

(f) Magis enim consilium est quam mandatum, quia nemo ex consilio obligatur, etiam si non expediat ei, cui dabitur, quia liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium. Vide *l. 10. §. 7. h. t. Olemannum disp. Inst. 30. ad th. 19.*

*Th. X.*

Ecquid juris est, si mandatum suscipiatur mandantis, mandatarii, tertii gratiâ. *l. 8. §. 4. h. t.* Resp. hunc tertium non constituere tertiam personam, sed æstimari ex persona mandantis & mandatarii.

C A P V T V I.

*Th. XI.*

Specierum Mandati prima divisio est, quam facit præsentia & patientia, juxta quam mandatum est vel expressum (a), vel tacitum (b).

(a) Vide Wesenbecium ad *h. ff. tit. num. 6.*

(b) Scri-





(b) Scrupulum ad *d. num. 6.* habet Bachovius, quod detacito mandato adfertur. Veri enim contractus requirunt conventionem expressam, quâ solâ à quasi contractibus separantur. Sed dici potest esse gradus taciti & expressi. Et est aliquod genus taciti respectivè ita dictum, & quod collatum cum alio tacito haberi possit pro expresso: quomodo qui sciens, & ut quidam addunt, præsens fidejubere alium pro se patitur: aut pecuniam alii dare suo nomine, juxta *d. l. 6. §. 2. l. 18. h. t.* non longè distat ab eo, qui consentit expressè, cum utique intelligat alterum non animo donandi fecisse. Trahere tamen extra suos terminos hoc non oportet: veluti, si quis alicui sua negotia commendat, non nascitur altero tacente obligatio mandati, sed expresso opus est consensu, *l. 8. §. 1. de procur.*

*Th. XII.*

Aliæ præcipuæ species considerantur vel in relatione ad adjunctum (a): vel in relatione ad objectum (b), quòd magis modò, modò minus constringunt (c).

(a) Aliud est judiciale, quod Procuratorium dici solet, quo differt verus procurator à falso, qui simulat se procuratorem interceptiendi aut fraudandi causâ. *l. 44. §. 1. d. furt. l. 14. d. condict. caus. dat.* Giphanius *ad l. 1. ff. d. procurat. num. 8.* Aliud est extra judiciale, quod potissimum est hujus loci.

(b) Aliud est speciale: aliud ad universa negotia seu generale, Frantzkius *ad h. ff. tit. num. 59.* Nec generale mandatum tollit *d. l. 6. §. 3.* ubi rei turpis nullum est mandatum. Resp. generale mandatum referri ad genus eorum, quæ in mandatum venire possunt. In *l. 7. ff. pro Soc.* Societas est universorum: non tamen quod ex furto aut alio maleficio quæsitum est, in societatem confertur, quia delictorum turpis atque fœda communio est, *l. 53. ff. eod.* In *l. 40. in princ. d. pact.* est pactum generale; pacta tamen, quæ turpem causam continent, non sunt observanda, *l. 27. §. 4. ff. eod.*

(c) Mandatum generale à Dd. vulgò subdividitur, quòd aliud sit cum libera, aliud sine libera potestate. Illud existimant continere plenam facultatem non saltem administrandi, sed & transigendi & alienandi, *l. 58. d. procurat. l. 60. §. 4. h. t. mand. l. 9.*





*S. 4. d. A. R. D.* hoc solum administrationem nudam, non jus transigendi vel alienandi, *l. 60. l. 63. d. tit. d. procurat.* Quæ distinctio etiam jure Canonico recepta est, quo is, cui mandatum est cum libera, potest expedire ea, quæ aliàs speciale mandatum requirunt, *c. 4. de procurat. in 6. Covarruvias l. variar. 6. num. 3.* ejusque vi omnia procuratori licere, quæ dominus ipse facere posset. Verùm distinctio hæc videtur juri civili cognita non esse, tum propter textus in *l. 6. d. Inst. act. l. 10. cum seqq. d. pact. l. 12. d. pign. act.* præsertim verò *l. 17. S. ult. d. jurejur.* in quibus locis procuratori, qui simpliciter dicitur totorum bonorum, datur jus paciscendi, ut etiam domino noceat, & jus deferendi juramentum, in quo continetur remissio quædam & alienatio: tum quia absurdum videtur procuratorem tantundem posse, quantum ipsum Dominum, cum illius potestas sit & maneat administratoria, *l. 1. S. 1. ibi. non alienare sed gerere commissum, de officio procur. Cesar.* tum quia sine dubio plus potest tutor quam procurator, & tamen facultas deferendi juramenti in *d. l. 17. S. 2. d. jurejur.* restringitur ad casum, quo omnes aliæ probationes deficiunt, *l. 35. eod.* Sicut & transigendi jus concessum in *l. 54. S. ult. & l. 56. S. 4. d. furt.* admodum limitatur in *l. 46. S. ult. d. administ. tut.* Quidni & idem de procuratore omni etiam cum libera hoc dicatur, & ita lis hæc dirimatur? ut textus illi, qui facultatem transigendi & alienandi negant, de directa: qui affirmant, de obliqua & quasi eventuali seu subsidiaria facultate accipiantur. Quod scilicet si utilitas negotiorum & necessitas id efflagitat, ut quia fortè res peritura vel deterior futura sit, licentia hæc mandato generali insit. Vide Donellum *4. comm. 15.* Bachovium ad *Treutl. vol. 1. disp. 7. th. 2. lit. C. disp. 27. th. 5. lit. B. C.* Vinnium *libr. select. quest. 1. c. 9.* ubi addit, Quid interest simpliciter alicui bonorum universorum administratio demandata sit, an mandata adjecto verbo *libera?* non magis hæc differunt, quam hæres simpliciter institutus & institutus adjecto ex asse. Putaverim ego hoc interesse non esse absolutæ necessitatis, quam subministrat jus Romanum; esse tamen majoris securitatis, & in gratiam ejus, qui procurator datur.

## CAPVT VII.

### *Th. XIII.*

Ut objectum Mandati plenè percipiatur, arceri debent, quæ  
in man-



in mandatum nec venire, nec alterius ministerio expediti possunt. Non tamen perperam interpretemur *l. 123. in princ. ff. d. R. J.* quasi verum sit neminem regulariter alieno nomine lege agere posse, suâ authoritate scil. sponte suâ, ultrò & citra mandatum: nam negotiorum gestor suâ authoritate, sponte suâ, ultrò & citra mandatum agit.

*Th. XIV.*

Quæ autem in mandatum venire nequeant, in iis non præcisæ necessitati nos adstringemus, sed tantum exempla proponemus totum per aliquas partes declaraturi.

*Th. XV.*

Hæreditatis aditio nec per tutorem, nec per curatorem fieri potest: quod probat Johannes à Sande *ex l. 9. d. A. vel O. H. ad l. 77. d. R. J.* quæ 1. ne quidem verbulo tangit Curatorem. Deinde videtur quoad pupillum definire contrarium, nam pupillus cum tutoris authoritate hæreditatem acquirere potest: nisi placeat aliud esse quid acquiri cum tutoris authoritate, aliud esse quid acquiri per tutorem: tunc enim quod acquiritur per tutorem, tutor sepositâ pupilli personâ acquirat. Aut peti differentia potest è verbis finalibus: *hoc enim favorabiliter eis præstatur*: ita ut aliud sit in acquisitione hæreditatis ordinaria: aliud in ea, quæ favorabiliter est indulta. Et ita responderi potest ad *l. 18. C. d. jur. delib.* Ut autem assertio procedat, hæreditatis aditionem non fieri per curatorem, illa probatur *ex l. 90. ff. eod.* Nec opinamur cum Hottomanno in Pandectis Florentinis vitiosè scriptum esse *curatorem*: Licet Contius testetur in vetustis Digestorum membranis legi *per procuratorem*: quoniam perinde est, sive hoc, sive illo modo legatur, quia nec per curatorem, nec per procuratorem acquiri hæreditas potest. Vide dissentientem Duarenum *libr. 1. disp. c. 27.* Fachinæum *libr. 6. cont. c. 96.* Quod tamen assertur de hæreditatis aditione, diversum est in bonorum possessione, *l. 3. §. 7. d. bon. poss.* Aditio hæreditatis est juris civilis: bonorum possessio est juris prætorii: jus autem prætorium jure Civili indulgentius est & benignius.

*Th. XVI.*

Neque adoptare, neque adrogare quis absens, nec per alium ejusmodi solennitatem peragere potest. *l. 25. in §. d. Adopt.* Vide





Cyprianum Regnerum ab Oostergera ad l. 14. d. tit. ubi in arrogatione hanc rationem reddit, quod fiat per interrogationem & responsionem. Vide Cujacium *libr. 9. O. 37.*

*Th. XVII.*

Non fideicommissariam libertatem à pupilla sua servis debitam tutorem posse prestare certi juris est. Unde Impp. Diocletian. & Maximian. Olympio rescripserunt, si ea, quæ rogata fuerat, manumittere certo tempore ætatis, quos rogata est, ad libertatem non perduxit, sed tutor manumisit, remanserunt in servitute, *l. pen. C. qui manum. non poss.* E quo tamen non elicimus aliud esse statuendum in libertate directâ, quàm tutorem posse prestare certi juris fit, quoniam directæ libertatis quæstio non habet locum in tutore, cum ejus auctor fuerit ipse defunctus.

*Th. XVIII.*

An per alium fieri potest Acceptilatio? Respondet Ulpianus in l. 13. §. 10. ff. d. *Acceptil.* Tutor, Curator furiosi acceptum ferre non potuit, nec procurator quidem potest facere acceptum; sed hi omnes debent novare, & sic acceptò facere. Ita Acceptilatio fit immediatè per nosmet ipsos: medio novationis fit quoque per alium. Obstat l. 3. ff. *eod.* ubi Paulus, *per Procuratorem nec liberari nec liberare quisquam acceptilatione sine mandato potest.* Ergo mandato saltem interveniente creditor debitorem per procuratorem acceptilatione liberare potest. Respondent Cujacius *O. libr. 15. c. 16.* Donell. *libr. comm. 16. c. 21.* quod procurator mandato præcedente novare possit, & tunc deinde sibi permissum acceptò ferre, quod creditori debetur, quia remedio novationis rectè acceptilatio fit. Hottomannus *libr. amic. resp. 1. c. 31.* putat hæc verba *sine mandato* aut spuria, aut ex glossa imperiti Interpretis, in ordinem verborum Pauli irrepsisse. Quam sententiam amplectuntur D. P. Faber *libr. semest. 2. c. 21.* & Barnabas Brissonius *libr. d. Solut. 2. in princ.* Hujus Brissonii dum venit in mentem, in mentem venit ejusdem factorum. Utcunque enim adversarios rogaverit, ut breve spatium indulgerent, dum in ipso carcere *libr. de formulis juris* absolveret, jubent se extemplo ad mortem parare, ac vix quadrante horæ ad deponendas sacerdoti noxas permissis ad ipsius cubiculi fenestram carnificis manu strangulatum appendunt. Johannes de Bullieres *libr. histor. Franc. 22.* Si nondum strangula-



strangulatus fuisset, forsan aliter respondisset. Et ita responderi potest, in *d. l. 3.* non intelligi mandatum, quod antecedit procuratorem, seu quo procurator constituitur; sed intelligi mandatum, quod sequitur procuratorem jam constitutum, & cui insertum est novationis remedium. Seu respondet illud brocardicum, Non procedit argumentum à contrario, si resultet inde intellectus absurdus & manifestæ juris dispositioni contrarius. Qui plura cupiunt illorum, quæ in mandatum venire nequeunt, ii adeant Ant. Fabrum ad *Cod. libr. 4. tit. defn. 38. num. 1.* Carpzovium *defn. forens. part. 1. const. 12. defn. 12.* Berlichium *pract. concl. part. 1. concl. 29. num. 24. 25.* Simonem van Leuwen in *ensur. forens. libr. 4. c. 24.*

### CAPUT VIII.

#### *Th. XIX.*

Solvitur Mandatum 1. contrariâ utriusque voluntate (*a*). 2. morte (*b*), quæ tamen non perpetim solvit (*c*), renunciatione (*d*), & ejus jure cognito (*e*), quod jus renunciationis cognitum aliud est in persona mandantis (*f*), aliud in persona mandatarii (*g*).

(*a*) In contraria utriusque voluntate licet sit regula, *S. ult. quibus mod. toll. obl.* in Mandato tamen esse exceptionem infra patebit.

(*b*) Supplet *l. 18. C. h. t.* rem debere esse integram, i. e. antequam expensas fecerit Mandatarius, aut lis sit contestata in judicialibus, Brunnem. ad *d. t. 15.* tunc enim mors ideò solvit mandatum, quia morti superesse voluntas non potest. Obst. omnem contractum transire ad hæredem. Resp. in toto jure generi per speciem derogari, & illud potissimum haberi, quod ad speciem directum est, *l. 80. ff. d. R. J.* Quod autem in locatione facti, & in societate ad speciem dirigitur propter industriæ professionem, quæ personalis est, & hinc ad speciem directum est.

(*c*) In *l. 33. ff. d. A. vel A. P.* Si amicus venditoris, mortuo eo, priusquam id sciret, aut non prohibentibus hæredibus id fecerit, rectè possessio tradita erit. Sed si id fecerit, cum sciret dominum mortuum, aut cum sciret hæredes id facere nolle, contra erit. Sic contra erit, si mandatum per ignorantiam est impletum,

*l. 26. in.*



*l. 26. in princ. ff. h. t.* Obstat hoc impletum mandatum parere actionem mandati tantum utilitatis causa. *l. 19. §. 3. d. donat.* Obstat ad heredem transire mandati obligationem. Resp. mandati obligationem latius patere ipso mandato, quia obligatio sequi potest mandatum jam solutum, ita ut non sit tantum mandati presentis, sed mandati jam praeteriti. Obstat *l. 34. in §. h. t.* Resp. ibi non negari morte solvi mandatum, sed affirmari in persona heredis posse esse mandati initium. Obstat *l. 18. §. 2. p. m. donat.* Resp. ibi proponi pactum: ut in *l. 12. §. ult. junct. l. 13. h. t.* proponi negotium ab herede demum expediendum.

(d) Obstat mandatum esse contractum nominatum, in quo renunciatio cessat. Resp. renunciationem cessare, si res non sit amplius integra: si adhuc res sit integra, cum nullus interfit, nullus renunciationem impedit.

(e) Quantumvis enim mandatum consummare sit necessitatis ut omnem contractum, *l. 22. §. ult. h. t. l. 5. C. d. O. & A.* eandem tamen rem explicandi vel alio modo, vel omnino non explicandi in mandato liberrima est facultas.

(f) Sit mandanti & mandatario communis poenitentia. Illa poenitentia vel manet poenitentia, vel specialiori voce vocatur revocatio. Revocatio autem est mandantis. In *l. 12. §. pen. h. t.* si mandavero exigendam pecuniam, deinde voluntatem mutavero, an est mandati actio vel mihi vel heredi meo? Et ait Marcellus, cessare mandati actionem, quia extinctum est mandatum. Rationes suggerit Struven *exerc. ad §. 22. th. 17.* Cur enim, quod sua causa susceptum est, prohibeatur repudiare, aut operam atque officio ab altero gratis suscepto non uti.

(g) Manet poenitentia in persona mandatarii, quam in hac thesi *lit. b.* limitat. In *d. l. 22. §. ult. l. 23. l. 24. l. 25.* Si is, cui mandatum est, ut aliquid mercaretur, mercatus non sit, neque renunciaverit se non empturum, idque sua, non alterius culpa fecerit, mandati actione teneri eum convenit. Hoc amplius tenebitur (sicuti Mela quoque scripsit) si eo tempore per fraudem renunciavit, cum jam recte emere non posset. Sane si valetudinis adversariae,



versariæ, vel capitalium inimicitiarum, seu ob inanes rei actiones, seu ob aliam justam causam excusationes alleget, audiendus est.

### CA P V T IX.

#### Th. XX.

Manifesta fit Mandati nondum soluti obligatio, præsertim in Mandatarii functione, quæ duobus his circumscibitur. Primò ut mandatarius mandatum ritè exequatur. Secundò ut mandatarius ob susceptum mandatum, quod per illius causam & occasionem venit, restituat.

#### Th. XXI.

Is, qui exsequitur mandatum, non debet excedere fines mandati (a), quoniam diligenter fines mandati custodiendi sunt (b), nam qui excessit, aliud quid facere videtur (c).

(a) *S. 8. Inst. h. t.* Hoc ut exactiùs discutiatur, sic habendum. Mandatum aut est indefinitum, aut definitum. Si est indefinitum, fines attendi non possunt. In *l. 3. S. 1. h. t.* Si mandem tibi, ut aliquam rem mihi emeris, nec de precio quicquam statui, tuque emisti, utrimque actio nascitur. Si est definitum, mandatarius non debet excedere fines. In *d. S. 8. si quis usque ad centum aureos mandaverit tibi ut fundum emeris, vel ut pro Titio sponderes*: neque pluris emere debes, neque in ampliorem summam fidejubere: alioquin non habebis cum eo mandati actionem. Ex eo, quod è *d. S. 8.* notat Hortensius, Sabiniani volebant tam strictè obsecutum esse mandatum, ut si mandatarius pluris emisset, quàm emi mandatum esset, agere non posset, etiamsi mandator remitteret id, quanti pluris emisset: quia definito à mandatore precio, quo ematur, sic de precio deciditur & excluditur omnis quæstio, an mandantis intersit pluris vel minoris sibi emptum esse. Sed diversæ scholæ Authores, quod notat Harpprechtus ad *d. S. 8. num. 10.* volebant negari non posse, quin is, qui centum aureis fundum emi mandavit, qui emitur centum viginti, id saltem voluisse videatur, ut centum in emptione collocentur. Deinde restrictivè dicit Imp. in textu,

F





quod ratione excessus mandatarius non habeat actionem mandati, Manzius ad *ad. d. §. 8. num. II.*

(b) Non tamen concludamus Mandatum esse contractum stricti juris, cum differentia inter contractus bonæ fidei & stricti juris non sit in natura contractuum, quæ se habet in relatione ad privatos, sed in natura actionum inde descendendum, quatenus sunt aliæ actiones liberaliores, aliæ sunt, quarum in condemnatione strictè fertur sententia de iis tantum, de quibus in ipsa conventionem diserte ac nominatim fuit dictum. Cujus autem hæc est condemnatio? non privatorum, sed publicæ personæ, quam iudex repræsentat.

(c) Fit mentio excessus, quo deterior fit mandantis conditio. Melior autem causa mandantis fieri potest, si cum tibi mandassem, ut Stichum decem emeris, tu eum minoris emeris, vel tantidem, vel aliud quicquam servo accederet: utroque enim casu aut non ultra pretium, aut intra pretium fecisti, *l. 5. §. ult. h. t.* Quid verò, si bona fides sit in Mandatario, qui excedens conditionem Mandantis noluit facere deteriorem, an non indemnus servari debet? Hopperus putat non esse eum indemnem servandum, propterea quod is, qui mandatum suum certis finibus circumcludit, reliqua omnia, quæ extra fines illos sunt, prohibere videatur. Alii autem existimant, si communi hominum existimatione justum sit pretium, quod ipse pro fundo expendit, & sic utiliter negotium mandatoris gessit, eo in casu dari quoad reliquum & superfluum actionem negotiorum gestorum. Vide Mynsingerum ad *d. §. 8. lit. a.*

*Th. XXII.*

Quod restitutionem attinet, debet illa fieri, licet aliquid negotio præter vel contra mandatum accesserit, ut si iussus credere sine usuris sceneravit: quod quemadmodum procedat, docet *l. 10. §. 4.* si iussus exigere centum à Titio plus consecutus est. In *l. 46. §. 4. ff. de procurat.* Procurator ut in cæteris quoque negotiis gerendis, ita & in litibus ex bona fide rationem reddere debet. Itaque quod ex lite consecutus erit, sive principaliter ipsius rei nomine, sive extrinsecus ob eam rem, debet mandati iudicio restituere, usque adeo ut si per errorem aut injuriam iudicis non debitum consecutus fuerit, id quoque reddere debeat.

*Th. XXIII, Sub*



*Th. XXIII.*

Sub hac restitutione comprehenditur etiam cessio Actionum, ad quam Mandatarius tenetur. Hac cessione opus non habet procurator ad judicia datus, sed domino immediatè utilis actio competit, *l. 27. §. ult. l. 28. h. t. l. 79. d. V. O.* ut autem appareat discrimen inter actionem directam & utilem, ex constitutione D. Pii suo nomine etiam agere potest emptor actionis, licet ea nondum sit cessa, *l. 16. d. pact.* sed actione utili, *l. ult. C. quand. fisc. vel priv. debitoris sui.* Nam directam actionem ex persona venditoris exercere non posset, nisi actio esset cessa. Sic cedens rebus adhuc integris non obstante actione cessâ potest actionem alteri cessam ipse movere, *l. 3. C. d. Novation. l. 3. C. h. t.* Quod facere non posset, si actionem planè abdicâset, licet si vendiderit nomen, & illud post cessionem exegerit, empti iudicio teneatur cessionario, *l. 23. §. 1. d. hæred. vel act. vend.* & hæc communis est sententia ipsam actionem directam per cessionem non transferri, sed manere penes cedentem, & esse quasi infixam ossibus ejus, qui contraxit, *l. 16. in fin. ff. de pecul. l. 3. in princ. ff. pro soc. Carpzovius part. 2. jurispr. consist. 25. def. 16. in fin. Donellus ad l. 3. Cod. mand. num. 6. Joh. à Sande de Action. cess. num. 19.*

**C A P V T X.**

*Th. XXIV.*

Mandatum parit actionem duplicem, directam (a), & contrariam (b).

(a) Illa datur mandanti ejusque hæredi contra mandatarium ejusque hæredem. Zæsius ad hoc ff. tit. num. 13.

(b) Hæc datur mandatario 1. ut mandatum peractum ratum habeatur, quatenus secundum fines suos est impletum, postulat enim ratio, ut indemnis habeatur. 2. ut refundatur mandatario, si quid nomine mandati eidem absit, ne officium suum ipsi sit damnosum. Idem *d. loc. num. 21.* Quam alii fingunt utilem, ut Duarenus ad *h. ff. tit. c. 2.* de eo superius in persona deportati jam est actum.

*Th. XXV.*

An abesse censetur, quod damno violenter illato abest, veluti si dum mandatarius ad mandatum perficiendum proficiscitur,



à latronibus spoliatur, in morbum incidat? Resp. l. 26. §. 6. & 7. h. t. non omnia, quæ impensurus non fuit, mandatori mandatarium imputabit: veluti quod spoliatus sit à latronibus, aut naufragio res amiserit, vel languore suo suorumque adprehensus quædam erogaverit: nam hæc magis casibus quàm mandato imputari oportet: sed cum servus, quem mandato meo emeris, furtum tibi fecisset, Neratius ait mandati actione te consecuturum, ut servus tibi noxæ dedatur: si tamen sine culpa tua id acciderit. Quod si ego scissem talem esse servum, nec prædixissem, ut possis præcavere, tunc quanti tua intersit, tantum tibi præstari oportet. Obstat l. 6. §. 5. h. t. Resp. distinguendo inter mandatum, ut certum hominem quis emat: & inter mandatum, ut hominem quis emat.

*Th. XXVI.*

Supereff ut deducamus, quid mandans ejusque hæres (a) agens actione directâ (b) contra mandatarium (c) ejusque hæredem (d) consequatur (e), quid consequi non possit (f).

(a) Non tamen potest hæres contravenire facto defuncti, l. i. cum ibi notat. ff. d. R. C. Socin. jun. cons. 107. num. 57. vol. 3. Vide Burfatum cons. 339. num. 7. vol. 5. Taborem in thes. locor. comm. jurispr. in axiom. Augustini Barbosa libr. 8. c. 5. mandatum morte finire. Resp. §. 10. h. t. Si adhuc integro mandato mors alterutrius interveniat: quod ita explicari potest, si nomine mandati ante suscepti nulla adhuc competere posset actio.

(b) Ut facilius assequamur, an utrinque competat actio directa: quando ex altero latere competat actio directa, ex altero contraria, hanc Commentatores ponunt regulam, Quoties par & æqualis est utriusque contrahentis in obligatione constituenda ratio, toties par & æqualis nascitur actio: quando verò potior est alterutrius causa, tunc ad quem præcipuus contractus finis respicit, & ad quem maximè totum negotium refertur, solet huic tanquam principali directâ dari actio: alteri verò contraria. A quo enim dependet esse rei, & ad quem maximè totum negotium refertur, ad eundem referri debet præcipua ejus vis, modus & effectus. Quid opus est tot verborum ambagibus? sufficiat:





sufficiat hoc animadvertisse, Aut aliqua actio utrinque æqualiter & ad rem competit: aut non utrinque & æqualiter ad rem competit: priori casu utrinque nascitur actio directa: posteriori ex altero latere nascitur contraria. Hoc ipsum indiget Oldendorpius in *loc. comm. act. div. 6.* cui directa actio vocatur illa, quæ quis persequitur id, quod ex natura conventionis immediatè & principaliter debetur: contraria verò, quæ aliquid exigitur præter substantiam contractus.

(c) Mandatarius convenitur culpæ nomine & quidem ad culpæ levissimæ præstationem tenetur, Frantzkius ad *h. ff. tit. num. 75.* Sutholt. *diff. ad Inst. 15. th. 70.* Charinus inquit apud Plautum in *Mercatore*: Sæpe ex te audivi pater mandatæ rei omnes sapientes primùm præverti decet, i. e. in primis curare res mandatas, & earum curam habere rebus suis antiquiorem, Ant. Matthæus in *not. & animadv. ad §. ult. Inst. h. t.* Heic emendari potest geminus error. Alter est eorum, qui tantùm culpæ levis præstationem requirunt. Alter eorum, qui ne quidem ad culpæ levis præstationem progrediuntur. Prior error est iterum geminus, alii enim culpam levem à levissima non distinguunt: alii culpam levem levissimæ opponunt. Culpam levem à levissima non distinguit Donell. *libr. comm. 13. c. 11. libr. 16. c. 7.* ubi eorum, qui statuunt culpam levissimam, vult esse nodos inextricabiles, in quibus Dd. frustra se torquent ac discentes cruciant. Scil. ostendit ibidem *lit. f.* Hilliger esse culpam levissimam, quam eximie probat *l. 3. §. 1. Naut. caup. stabul.* ibi namque dicitur non teneri de casu fatali, & tamen teneri, si res sine culpa perit. Potest igitur res perire extra casum fatalem & tamen sine culpa. Proinde quiddam medium erit inter culpam absolutè sic dictam, scil. levem, & casum fortuitum; quod nihil esse potest nisi culpa levissima, quæ quia ad casum fortuitum proximè accedit, æquè culpæ nomine simpliciter posito non continetur atque lata, quæ proximè fraudem attingit. Alii culpam levem levissimæ opponunt. Sic Olemannus *disp. ad Inst. 30. in Coroll.* ex certis juris fundamentis concludit dolum & culpam levem in mandato præstari. Vide Duaren. ad *h. ff. tit. c. 2.* Displicet explicare Olemannum *de loc. l. 13. C. h. t.* de generalitate, quæ sit intelligenda secundum illas leges, in quibus dicitur saltem dolum & levem culpam præ-



stari in mandatis. Qui potest explicari generalitas secundum certas leges? aut quæ potest esse generalitas, quæ excludit industriæ promissionem, quam tamen in mandatario Olemanus concedit, inque ipsa industriæ promissione Duarenus *d. loc. mandatum & depositum* contradistinguit. Error eorum, qui ne quidem ad culpæ levis præstationem progrediuntur, examinatur apud Duarenum *d. loc.* fovetur à Zoesio ad *h. ff. tit. num. 13.* ubi *num. 14.* dubitat circa culpam levem, saltem in casu, quo mandatum concernit etiam mandatarium, *l. 23. d. R. f. l. 5. §. nunc videndum. ff. commod.* Sed enim sive mandatum concernat mandatarium sive non, semper præstanda est culpa levissima. Nec strictè agitur cum illo, qui beneficium præstitit, etiamsi strictè agatur cum mandatario, qui beneficium, quod consistit in diligentia diligentissimi patrisfam. non præstitit. In *l. 21. C. h. t.* exactum officium est exactissimum: alioquin aliquid in administratione neglectum culpâ vacuum esset, ut etiam aliquid in administratione declinatum. In *l. 13. C. eodem.* nomine culpæ intelligitur levis, sed nomine omnis culpæ non potest duntaxat intelligi levis: aut minus esset in genere quàm in singulis speciebus.

(d) Quanquam enim ipsum mandatum regulariter non transeat ad hæredem, mandatum tamen jam susceptum ejus, qui suscepit, hæredem obligare potest, sive à morte testatoris hæres extiterit, sive post aliquod tempus agnoverit hæreditatem. In *l. 54. ff. d. A. vel O. H.* hæres quandoque adeundo hæreditatem jam tunc à morte successisse defuncto intelligitur.

(e) Mandans consequitur. 1. quicquid magis culpæ, quàm casui annumeratur: quod merè est casus fortuiti, non præstatur, quia cum prævideri non possit, domino cedit. Sic domino cedit, quod per justam ignorantiam à mandatario est omissum. In *l. 8. §. 7. h. t.* si ignorantes fidejussores debitorem solvisse, vel etiam acceptilatione sive pacto liberatum, ex substantia debitoris solverunt, non tenebuntur mandati. 2. Mandans consequitur id, quod interest, quatenus interest, *d. l. 8. §. 6.* 3. consequitur præter ipsam rem, quæ mandata emi, si empta sit, restituendam, *d. l. 8. §. 10.* fructus à mandatario perceptos, *l. 10. §. 2. eod.* 4. consequitur si quid emolumentum cepit ratione rei mandatæ, adeò ut & usu-



& usuras, quas ex pecunia mandantis percepit, restituat, vel etiam ex eo, quod in usus suos convertit, & in mora sit restituendi. In *d. l. 10. §. 3.* si procurator meus meam pecuniam habeat, ex mora utique usuras mihi pendet. Sed si pecuniam meam foenori dedit, usurasque consecutus est, consequenter dicemus, debere eum praestare, quantumcunque emolumentum sensit, sive ei mandavi sive non, quia bonae fidei hoc congruit, ne de alieno lucrum sentiat.

(f) Mandans consequi non potest, quod non venit in mandatum, nec occasione mandati allegatur, ut si refragetur objectum mandati, aut si mandans & mandatarius ex suo facto obligentur. Refragatur objectum mandati in *l. 12. §. II. h. t.* in quo mandatarius mandati non obligatur, si ei mandans mandaverit, ut meretrici pecuniam credat. Mandans & Mandatarius ex suo facto obligantur, si mandans mandatario mandet alterius laesionem, quam nec mandans mandare, nec mandatarius exequi potest: magis tamen mandatarius, etiam in actu illicito, quam mandans, obligatur, ut si iussus aliquem vulnerare, eundem occiderit. Obstat Farinacius in *prax. crimin. part. 5. c. 135. num. 363.* ubi subjicit rationem, quod mandans vulnerare debuerit cogitare ex vulnere facile sequi mortem, & quod intendens causam videatur intendere omnia inde secuta, atque etiam isto in casu caedem, cum vulnera non dentur ad mensuram.

Respondebitur.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.





SOL  
COMITARE DIEM FAVSTVM  
RADIISQVE SERENIS  
SPARGE COMAS.  
CONSVLIS  
GRAVISSIMI  
PRVDENTISSIMI  
PVBLICE PRIVATIM  
MERITISSIMI  
RELIGIONE IN DEVM  
CVLTV IN CIVES  
IN SINGVLOS CLEMENTIA  
EO QVINETIAM  
QVOD PROPIORIS EST CVRÆ  
AC SVpra HVMANITATEM POSITVM  
PLANE ILLVSTRIS  
PRONVPER  
VT  
DIGNITAS VRBIS MINVERETVR  
PRÆCIPVA  
ET GRANDE AGENDIS  
INGRVERET IMPEDIMENTVM  
EHEV DEFVNCTI  
FILIO  
NOBILISSIMO  
DN. GOTHOFRIDO HILLING  
EMBDA FRISIO ORIENTALI





AD HONESTI  
IMITATIONEM  
FLECTI CERE  
RECENTI SEMPER  
ADDISCENDORVM IMPETV  
CONSUMMATO  
GRATA LEGVM IVDICIORVM  
TEMPERIE EMENDATIONI  
TANDEM ASSENSV  
PARIVM MAIORVM  
OMNIVM  
PER OMNIA  
FAMÆ ELOGII  
VIRTVTIS  
SPLENDIDISSIMO  
CVM  
INAUGVRALEM SVAM DISSERTATIONEM  
CIRCA  
MANDATI  
IVCVNDA NECESSARIA  
VTILIA  
SVSTINERET  
MEAM  
INGENVI MORIS  
QVEM NON VIOLENT  
QVI NOVERE MINVS  
POESIN  
SACRAM FACIO  
AVT  
PERICLITARI PATIOR  
IACOBVS BRANDMYLLERVS.





**N**certa est nostri calami scribentis origo,  
Quam tot circumstant excutienda simul,  
Ut dubitet quibus incipiat se pandere, quæq;  
Possint è merito verba secunda sequi.

Hoc tamen est certum variâ quòd mole labore  
Copia, nec claudi carmine tota queat.  
Sic contemplantes jucunda vireta colorem  
Laudant, sed laudem nomina destituunt.  
Si queras viridem ut tellus induta juventam  
Exferat, ut tepeant veris amœna brevis:  
Quo se mutarint hyberno germine nata  
E quibus assurgat lac genitale toris?  
Aut nihil aut poterit lento admiratio sola  
Lentum responsum suppeditare sono.  
Ecquis plantarum discrimina mille referret?  
Singula pubescant, sunt nimis ampla seni.  
Id dicunt omnes primos maduisse capillos  
Aurora, id dicant prætereaq; nihil.  
Quos etenim terras per opacas humida spargat  
Influxus, num sit limite cincta suo;  
Ignorant omnes, nil ignorare volentes  
Heic fragili mentis sedulitate labant.  
Promptius his esset scabiem novisse rigenti  
In stabulo, ac vitulos enumerasse boum.  
Promptius his esset sordes à vertice ad imos  
Argutâ strigili defecuisse pedes.  
Promptius his esset se fingere rapibus ortos  
Caucaseis, vites excoluisse suas:  
Qua fuerat patris, testam placuisse paternam:  
Non fuerit patris, testa placere potest.  
Promptius his esset requiescere sicut arator  
Custodit teneras sed tunicatus oves:

Tunc



Tunc nimis nimum rubicundis naribus haustum  
Indulget, lacerâ pocula veste fluunt.  
Seu pede seu cubito stertat, seu stramine nidum  
Instruat, Arcadiae murmura leta putat.  
Sufficit huic parulâ si stillent vina sub ulmo,  
Si Laletana nigra lagena sapa.  
Promptius his esset digitis signasse rotundis  
Aures, queis Critici turba soluta micant.  
Servabo solenne meum, solenne Poëtis  
Prolixa tangens vel tria materia.  
Debitor in multis si parvo liberat ære  
Debita, plus artis sed minus addit opis  
Quod credo, credes, si tantula nostra movebunt,  
Crede Vir exactâ dexteritate satur.  
Est vitium si luxurient mea metra nitore  
Quæsito, si non plurima dissimulent:  
Dissimulent celebrata tuæ tentata juventa,  
Queis crescunt patriæ nobiliora domus.  
Quæ fuerint primæ florentia munia mentis,  
Cui Virtus solidum præstitit obsequium:  
Ut felix nostri penetraveris intima Juris,  
Quod Nemesis pœnæ vult superesse sua.  
Ut damnes luxum, quem spreta licentia suadet,  
Suadeat, oppositâ spernis utraque manu.  
Quos fugias multis suaves dulcedine cantus:  
Vox vocet, in cantu vox peritura vocat.  
Quàm non alta petas suffragia, pluribus altos  
Anticipent, te non anticipare queunt.  
Quàm non ambitio stimulis invadat anhelis,  
Nec mutet fastus candida corda niger:  
Emicat in cunctis tua multa modestia rebus,  
Et nostræ fidei jungit amata fidem.



*Amphion fertur gracili testudinis usu  
Mouisse è primis scrupea saxa locis:  
Thebarum muros sibi submitisse, sequaci  
Mollia ceu nexu membra coire solent:  
Processisse vagas quercus, elataq; terra  
Pondera, densatum non riguisse jugum:  
Cornipedem sylvas traxisse per horrida plantam:  
Frigore concretos incaluisse siveus;  
Scrupea saxa loco cordis sint omnibus, aures  
Auditu careant, serpat ab ore metus:  
Heic non saxa stupent, sed saxum corde movetur,  
Aures auditu non doluere novo.  
Non metui est ullum certamen, discutit omnem  
Enascens dignis motibus elogium.  
Afflatum defert placidum tua fortior aura,  
Quà recreat vita lenis origo tua.  
Lance pari verum potuisti opponere falso,  
Ut scis non hyemis posse calere sinum.  
Trajani revocet lapsos heic impetus annos,  
Et revoces lapsos Aureliane tuos:  
Quà permensus iter sit uterq;, & uterq; benigno  
Stamine factorum continuarit iter.  
Nulla dies illis erat intermissa juventa,  
Quæ non maturis prestitit apta viris.  
Ridiculum est si quis patriis inglorius arvis  
Fortè sub adverso sidere fata putet.  
Duxerunt parvi celsâ cervice triumphum,  
Parvi sub spumis ora tulere suis.  
Ac ubi non via erat, magnus fuit ardor eundi,  
Gens ubi nulla fuit, meta cadentis erat.  
Sapius instabiles Symplegadas & freta remis  
Expugnauerunt per via Thessalicis.*

*Hostis*





Hostis non fuerit, non sanguine turpis arena;  
Nulla fatigata presserit umbra fuga.  
Hostem finxerunt, pendebat ab arbore crista  
Hostilis, nisu depopulata truci.  
Lusus erat lusu Xerxem simulare ferocem,  
Qui toto constans victor in orbe fuit:  
Texerunt solem telis; sic ille tegebat  
Solem, per scopulos classibus ire potens.  
Cinxerit hic fossis non exuperabile vallum;  
Lusus erat lusu transiluisse fudes.  
Arcadia steterint, steterint Lacedaemonis arces;  
Oetaum steterit floris odore nemus;  
Hac mixtim cecidere, simul cecidere, lacertis,  
Quod rarum his annis, inferiora jacent.  
Sic Legum Custos Clarissime, Maxime Legum  
Assertor, Legum Palma renata toro  
Ursisti juvenis, quod vix concesserat aetas  
Mollior, aetatem mollibus illecebris.  
Nox sit, quae pigras hominem diffundat in alas,  
Non te composuit laxa sopore quies.  
Festini studii quovis properantior usum  
Tentans tentasti vota paterna tuis.  
Cum pueris pueri ludunt & ephebus ephebo  
Gaudet, se senio facta senecta dicat.  
Qui te noverunt, norunt è suavis ausis  
Te semper puero praeponuisse senem.  
Odisti ignavi deliria lenta veterni  
Quo blattis crescit bibliotheca vacans.  
Quale animal musca pungunt & morsibus haerent  
Hamatis, cuius viscera diminuunt?  
Estne anser, cuius custodia gutture longo  
Tarpejum potuit restituere Jovem?



Non anser volitat plumis, ac innatat undam,  
Non habet hoc plumas, queis volitare queat:  
Est undâ gravius, quam si tranare fluentem  
Vellet, sub validis abriperetur aquis.  
Forsan homo fuerit dubium qui scandit jambum,  
Pulmonem è latebris qui trahit attonitum?  
Omnis homo fratrem novit novitq; sororem,  
Nullus homo pedibus quatuor ire potest.  
Nullus homo terram rostri mucrone secaret,  
Halecem cultro sed secat omnis homo.  
Ultima distrahitur vario sententia sensu,  
Inq; fide veri falsa subesse timet.  
Dicunt vulgò onagrum, cui insidiantur acuti  
Cuspidibus, cuius tergora curvat orcus.  
Ast dicant, an erit si quem discrimina sistunt?  
Sistere se cautum fit sapientis iter:  
Non onagrum tantum, verum & remeare leonem  
Scimus, quem subigens terret in hoste furor:  
Declinat victum, jam territus exiit iram,  
Submittens flava lucidiora juba.  
Ut videat, quicumque cupit securâ videre,  
Quòd leo conservet vitam onagerq; suam.  
Vivite vos onagri, leo vive, & vivat utring;  
Canities, vestris vivite in effugiis.  
Vivite nec laqueo dstringite membra tenaci:  
Laus est victoris non potuisse capi.  
Dejicite in vacuum, quia se non ninguida lecti  
Lintea supponunt, corpora vestra solum.  
Sic quoque dejicitur solo torpore retenta  
Simia, conspecto simia leta pari:  
Dejicitur rugis, in quas mutatur aniles  
Frigida, nec solito ruga calore madet.

Excla-



Exclamat tandem quod sit deperdita sulcis  
 Fessa cutis, tineas jam terebrasse caput.  
 Arida sum Socrus, mea me fastidia vexant,  
 Inflatisq; genis non tumor ullus inest.  
 Tange meam faciem, passa est rugosior urva,  
 Pavofui, macies me mihi surripuit.  
 Quid possum? domina vix possum ligna culinae  
 Cadere, sum quod eram, simia semper ero.  
 Non domina teretem pensis involvere lanam  
 Possum, sum quod eram, simia semper ero:  
 Simia semper ero, num simia cornua gestat?  
 Cornua non gestat, simia semper ero.  
 Cui non canities haec sit suspecta, leonem  
 Ille agat, hic onagrum, simia odore petat.  
 Est odor ingratus, seu surgat ab ore leonis,  
 Seu onagri, seu sit simia ab ore tuo.  
 Ignoras, quamvis ignores pauca, labori  
 Omnia conveniunt ex Helicone tuo:  
 Ignoras proni quae sint animalis, honorem  
 Pugnando quæris, quæris ut invenias.  
 Expandis docto dictamina mista colore,  
 Mandas, non mandas, sed rogitando cupis.  
 Materies mandet cumulati culmen acervi,  
 Me tibi in exigua dedico materie:  
 Et rogitans cupio, rogitantis imago  
 Tecum abeat, sine me non abitura rogat.  
 Sim tecum, tecum maneam comiterq; remotum:  
 Oceano, tecum non abiturus eam.  
 Sic mecum reditu tua semper imago manebit:  
 Illa abeat, non est illa abitura tamen.  
 Alterno, si permittis, pugnemus amore:  
 Vincam vel vincas, vincet amoris amor.  
 Si mihi certatim submittis colla, relatum  
 Submissis collis est mihi servitium.

Præve-



*Prævenis officio, sed non pietate secundâ,  
Hæc mea sit, primo prævenis officio.  
Opto tua Patria, sit ei suffulta Virorum  
Gloria, se muris pax animosa tegat.  
Non pateat spoliis, non sit vicina ruina,  
Non fiat misso fulmine pallidior.  
Orent, exorent te publica commoda, tantis  
Commoda serventur publica præsiidiis.  
Factabunt magni, nihil est in pectore magnum,  
Quod non erecto pectore concipias.  
Obveniant, quæcunque velint, his grandia sensu  
Impendis, celeri subdita iudicio.  
Singula fronte vides, à tergo non timor ullus  
Detinet, & circa te tua fama volat.  
Non cum Dardanidis pœnas è sanguine poscis  
Extendi crimen criminis esse putans.  
Si te causa jubet gravior, te sanguine tristem  
Turbat, te turbat sanguine pœna minor.  
Si te fert hinc inde dolor, nec tot mala cessant,  
In mediis crescens flectitur ira malis.  
Hoc voluisse, quod esse potest, vult junctâ rigori  
Majestas, non vis velle quod esse potest.  
Procedas sic jure tuo, sub jure Potentum  
Ut non procedas te tua jura monent:*

**F I N I S**













Basel, Diss., 1666-69

ULB Halle

3

005 128 684




V177











375

1239

1668,4

DISSERTATIO IVRIDICA  
INAUGVRALIS  
*Circa*  
CONTRACTVM MANDATI  
CONSENSVALEM

*Quam*  
Ferente opem  
OPTIM. MAX. DEO  
PRO CAPESSVNDIS IN VTROQVE IVRE  
Doctorem immunitatibus

*Sub permissu*  
MAGNIFICI & SPECTATISSIMI  
Juris Consultorum Ordinis in celebri  
Basiliensium Academia

Examinandam proponit  
GOTHOFRIDVS HILLING  
1) Embd. Fr. Or.

Die 14. Mensis Decembris, A. MDC LXIIX.

Horis solennibus, & loco hyemi destinato.



BASILEÆ, Ex Officina DECKERIANA.

17.

